DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

AD

M. TULLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. QUINTIO.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

AD

M. TULLII CICERONIS ORATIONEM PRO P. QUINTIO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI SANDIFORT,

MED. DOCT.

MEDICINAE, ANATOM. ET PHYSIOL. PROF. ORDIN.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

SAECULARIBUS ACADEMIAE CONCELEBRANDIS,

MORE MAJORUM CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

SEBALDUS JANUS EVERARDUS RAU,

LUGDUNO — BATAVUS

Ad diem IV *Februarii* MDCCCXXV. *Hora* XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD H. W. HAZENBERG JUNIOREM.
MDCCCXXV.

AUGUSTISSIMO PRINCIPI,

GULIELMO PRIMO,

BELGII UNIVERSI REGI, PRINCIPI ARAUSIO-
NENSI, MAGNO LUXEMBURGI DUCI,
CAET. CAET. CAET.

Hoc opusculum
ea, qua par est, reverentia
consecratur.

Dici vix potest, REX CLEMENTISSIME! quanto me munere a TE cumulatum senserim, cum, ut hic libellus TIBI inscriberetur, roganti benignissime concessisses. Omnes, qui Academicas edunt disputationes, primum juvenilium studiorum specimen in lucem exire cupiunt illius nomine ornatum, cui plurimum se debere sciunt, quemque inprimis venerantur. Quod cum ita sit, cui tandem magis mihi erat optandum, ut hoc opusculum lice-

ret

ret dedicari, quam TIBI, quem summa reverentia atque amore ut prosequar, tot tamque graves me impellunt causae, ut si his non movear, omnem profecto humanitatis sensum exuerim necesse sit. Movet me, quod est gravissimum, maiorum exemplum, qui omnes, sive paternos sive maternos respicio, celsissimae TUAE gentis studiosissimi fuerunt: movet ipsa, qua usus sum, domestica institutio. Auget hunc amorem almae hujus Academiae caritas, quae, cum magnum illum Patrem Patriae GULIELMUM PRIMUM *habuerit conditorem, et post illum plures ex TUA gente sospitatores, se non quae-*

si-

situm sed natum fautorem TE habere gloriatur. At quantum censes amorem TUI mihi crescere, cum vita mihi cariorem patriam cogito: quae cum saepius ex ipsis interitus quasi faucibus a majoribus TUIS erepta sit, nunc tanta in se TUA merita esse praedicat, ut adolescentulus ea, quorum gravitatem vix suspicere possim, laudare verear. Atque ego vellem tantis tamque sanctis nominibus TIBI debitum opusculum aliqua certe ex parte minus esset indignum, quod Regium TUUM nomen prae se ferret. Sed pro ea, quae in TE est, bonitate, multa vitia adolescenti,

mul-

multa ingenii viribus non valenti, multa meliora dare cupienti condonabis. Sed, ne diutius in publica peccem commoda, hanc orationem ulterius se profundere cupientem sentio esse cohibendam. Vota tamen addam, quae quotidie ab omnibus, quibus patria cordi est, concipi audio, ut quae in rebus humanis esse possit diuturnitas, ea TUO regno a D. O. M. cum felicitate conjuncta tribuatur.

DIS-

DISPUTATIO

AD

CICERONIS ORATIONEM PRO P. QUINTIO.

Quod verissime de Platone dixit WYTTENBACHIUS, „ tantam esse in eo bonorum copiam, tantasque „ divitias, ut variis sufficiat materiam studiis, et „ unusquisque discendi cupidus habeat quod ex eo „ tollere possit," id si mutato nomine de Cicerone dixerimus, nemo erit, ut opinor, cui praeter modum ornasse eum videamur. Neque enim tantum ac tam perpetuum, quantum omnes in Cicerone agnoverunt, eloquentiae flumen existere potuisset, nisi causam, et quasi fontem habuisset variae atque exquisitae doctrinae copiam, summa cum ingenii felicitate, optimarum rerum cognitione comparatam. Multis igitur in Cicerone legendo, id quod mihi acciderit, facile crediderim accidisse: qui ejus studio flagrare quidem coepi, captus singularibus paene illis, atque eximiis in omni genere dicendi dotibus orationis, vel etiam quod aliquem, si fieri posset, Latinitatis sensum ita me imbibiturum sperabam, postea autem comperi, ad aliam eamque gravissimam disciplinam ad-

discendam, perutile illud nostrum studium atque fructuosum fuisse. Eam nimirum rationem studiorum inieram, ut a literis ad juris disciplinam accederem; cui non invitus operam quidem daturus eram; adeo tamen literae jam placuerant, ut, quantum illud novum studium mihi foret negotium, non sine quadam molestia cogitarem; id vero non mediocriter vererer, ut suavissimam illam, quam cum Cicerone contrahere coepissem familiaritatem, non ea qua vellem observantia, ut ita dicam, colere in posterum mihi liceret. At, quam primum animum ad jurisprudentiam appuli, suspicere coepi, quod lectis doctissimorum JCtorum scriptis, et exemplo clarissimorum quorumdam virorum proposito, perspexi; tum, nullam omnino esse artem tam arcte alia cum arte conjunctam quam literarum cum juris disciplina; tum Ciceronis amorem cum Juris Romani inprimis studio conciliare adeo difficile non esse, ut hoc ne sine summa quidem molestia iis utilitatibus, quae ex Ciceronis lectione redundent, carere posse videatur. Nam, ut alia taceamus, saepe in iis Ciceronis scriptis, quae argumento ad jus pertinere non videntur, a rebus forensibus orationem ductam esse apparet, atque ad alia translatam, ut virum in fori palaestra exercitatum facile agnoscas: et ubi scriptionis argumentum a juris disciplina non abhorrebat, eas intexuit disputationes, quas minime juris Romani studioso licet ignorare: in causis vero orandis, tot et tam gravia tum juris publici tum privati capita adeo prudenter, acute, copiose tractavit, ut, plurima juris loca, nullo vetustatis monumento, si ipsorum JCtorum libros

bros excipias, melius quam Ciceronis orationibus illustrentur. Haec igitur cum viderem, et illa mihi ratio maxime placeret, quae literarum omnino, atque inprimis Ciceronis studium cum jurisprudentia conjungeret, atque sic gravioris dicam, an paulo severioris disciplinae studium exhilararet: nullum profecto, Academiae valedicturo, aptius ad hoc consilium Dissertationis quae dicitur Inauguralis argumentum videbatur, quam, quod in Ciceronis scripti explicatione versaretur: quam sic potissimum institueremus, ut, quanta ad Ciceronem intelligendum et interpretandum in JCtorum libris sint bona, quantaque ejus scriptis insint, quibus JCtorum doctrina illustretur, vel ex hoc qualicunque tandem specimine appareret. Non displicuit illud meum consilium viro Clarissimo Asseno, praeceptori carissimo, cujus scholas me audire non tantum, sed (tanta est in eo comitas, tanta humanitas!) quamvis adolescentulus familiaritate uti potuisse, inter maxima, quae mihi obtulit fortuna, beneficia semper reponam. Hujus igitur viri auctoritate confirmatus sumsi, in qua virium experimentum facerem, orationem, ac talem potissimum, quae materia, ut ita dicam, maxime ad jus privatum pertineret, et cujus opportunitate de variis hujus juris capitibus quaerere possem. Est enim oratio pro P. QUINTIO insigne antiquitatis monumentum, quo, praeter multa alia Juris Romani studioso scitu digna, eam inprimis rationem, quam in creditoribus contra moras atque fraudes debitorum muniendis secuti sunt Romani, optime docemur. Nos autem, quae ad hanc orationem collegimus, exigui esse momenti probe intelligimus.

Ex paucis tantum, in summa virium tenuitate, pauca licuit delibare, quorum majorem partem jam diu a viris doctissimis scimus esse occupatam. At illud maxime agendum putavimus, cum facultatem vix ullam in nobis esse intelligeremus, ut voluntatem certe, ac forte industriam quamdam aequis horum conatuum nostrorum judicibus probaremus.

Hoc autem opusculum ita distribuimus, ut tres ejus essent partes. In PRIMA PARTE de iis egimus, quae de causa P. Quintii praemonenda videbantur, quo melius ipsa Ciceronis oratio intelligi posset: in quaenam igitur tempora Quintii res inciderint primum paucis notavimus; tum causa Quintii, narratione de ejus rebus instituta, qualis esset explicavimus: quaesivimus etiam de genere et forma judicii, in quod tandem ista causa venerat cum hac oratione perorabatur. In SECUNDA PARTE rationes, quibus in causa Quintii oranda usus est Cicero, per singulas partes orationis euntes explicavimus, ut, JCtis potissimum in consilium vocatis, judicium quoddam de iis ferre conaremur. TERTIA PARS adnotationem ad graviora quaedam orationis loca continebit.

PARS

PARS PRIMA.

QUAESTIONES AD UNIVERSAM ORATIONEM PERTINENTES.

§. 1.

(*Quo tempore causa* QUINTII *orata sit a* CICERONE).

Quando haec oratio a Cicerone habita sit non difficile dictu est. Jam olim neminem videmus dubitasse, quin acta esset causa Quintii a Cicerone M. Tullio Decula, et Cn. Cornelio Dolabella Coss. (A. U. 672.) GELLIUS enim, ubi in *Noct. Att. Lib.* XV. *Cap.* 28. Cornelium Nepotem, quod in Ciceronis temporibus turbasset reprehendit, hujus orationis his consulibus dictae, ut rei certae atque notissimae fecit mentionem. Quodsi tam disertum ea de re testimonium non exstaret, non magnopere requireremus; in ipsa nimirum oratione indicia sunt, quae faciunt ut tempus quo habita sit pressius definire possimus. In *Cap.* nimirum *h. or.* 6. §. 24. diserta fit mentio Consulum Scipionis et Norbani: in *Cap. seq.* §. 29. Iduum Septembrium ejusdem anni: mox additur, post illum

 diem

diem annum et sex menses ante interiisse, quam ad Praetorem Cn. Dolabellam ventum sit, qui C. Aquillium judicem dedit, apud quem causam Quintii egit Cicero. Annum autem et sex menses si computamus ab Idibus Septembribus ejus anni, quo Scipio et Norbanus Coss. fuere, ducimur ad Idus Martias, M. Tullio, et Cn. Dolabella Coss. At Cicero causam peroravit, jam aliquoties ante apud Aquillium actam a M. Junio (Cf. *Cap.* 1. §. 4.), ut jam biennium (post Idus Sept. quibus vadimonium stetit) Quintium in judicio versari dicat Cicero in *Cap.* 13. §. 42. Post Idus Martias igitur ejus quem diximus anni, atque mense fere Septembri, causam Quintii oravit Cicero.

Eos autem Consules cum dicimus, quos scimus non tam a populo creatos, quam a Sylla dominante constitutos, jam intelligitur Quintii res incidisse in illud saevissimum tempus, quo partium civilium furore distracta Respublica Romana, atque gravissimis agitata motubus, praeceps jam tum in perniciem ferri videbatur, nisi tandem sub Syllae dominatu, quasi durissimo quodam injecto jugo constitisset. Atque illarum quidem dissensionum quarum studium, quod etiam in Quintii rebus dominaverat, tempore hujus orationis non tam oppressum, quam cineri doloso, ut ait poëta, suppositum erat, cum diserta fiat mentio in hac oratione, forte a nobis exspectabatur, ut memoriam hic repeteremus. Sed, ne dicam nos ita nimis longe terminos nostri instituti egressuros, historia illorum temporum ita nota est, ut in ea enarranda inutilem plane operam poneremus. Quis enim nescit

scit perpetuam illam Marii et Syllae aemulationem, et nobilium atque divitum cum plebe et recens adscitis civibus contentionem, bellumque civile socialis belli reliquiis altum? Nemo igitur requiret iterum a nobis dictum illum Sulpicii tribunatum, sive potius furorem, quo in Syllam invectus, eum jam ad bellum Mithridaticum profectum imperio spoliare instituit, effecitque ut Romam cum exercitu rediret: nec secutam acerbissimam illam Marii fugam, nec Cinnae cruentam expulsionem, atque utriusque capta urbe reditum, caedemque quam edidere omnium crudelissimam, qua clarissima civitatis lumina sunt exstincta: tum Syllae a victo Mithridate arma in cives conversa, victoriamque quae ipsam Marianam victoriam atrocitate superavit, qua tota respublica Syllae commissa est, ut solus eam regeret, legibusque confirmaret. Haec igitur cum sint notissima, quasi digitum ad ea intendisse sufficiat: nunc satius erit qualis tandem illa Quintii causa esset videre.

§. 2.

(*Orationis pro* P. QUINTIO *argumentum*).

C. QUINTIUS, frater P. Quintii, fuit ex gente plebeja civis Romanus. Is cum Sex. Naevio, praecone, homine item plebejo, societatem inivit rei pecuariae, quam in Sebusianis i. e. in Gallia Narbonensi habebat: erant ibi multa praedia Quintii privata, unum saltum cum Naevio habuit communem (*h. Or. Cap.* 3. §. 11. 12. *Cap.* 25. §. 80. *Cap.* 29. §. 90). Steterat per aliquot annos ea societas,

tas, in qua non optima fide Naevius fuisse putabatur, cum morte C. Quintii est dissoluta. (*Cap.* 4. §. 13. 14). Heres institutus frater Publius Roma profectus in Galliam venit: fuit ibi annum fere et sex menses una cum Naevio: homo vero rusticus et imperitus facile a callido et moras forte quaerente inductus parum in distrahendis fraternae societatis rationibus promovit (*Cap.* 4. §. 15. *Cap.* 11. §. 37. *Seqq*). Cum vero aes alienum a fratre Romae contractum tandem solvere cupiens praedia fratris in Gallia privata proscripsisset, Naevius multis verbis eum hortatus est ne auctionaretur, nolens, ut videtur, optimo tempore vendi praedia, quibus emtis praedium commune, quod jam suum existimabat, aliquando se continuaturum sperabat. Promisit igitur Romae pecuniam se suppeditaturum: credidit Quintius; at Romam cum venissent, Naevius sponte mutatus assem se daturum negavit, priusquam Quintius de rationibus societatis secum decidisset, et nullam controversiam ea de re sibi fore cognovisset (*Cap* 4. §. 15. — 19). Quintius igitur ex caeteris rebus ut potuit se expedivit: quo facto curare coepit, ut res, quam sibi cum improbo homine jam esse intelligeret, transigeretur. Appellavit igitur eum, ut res decideretur inter amicos. Datur utrimque arbiter: at nullo modo res componi potuit, et ab eo inde tempore saepius vadimonia promissa sunt, iterumque dilata (*Cap.* 5. §. 20 — 22). Fit tandem mutatio. Ecce venit ad vadimonium Naevius, ait se auctionatum esse in Gallia, vendidisse (ex bonis opinor communibus) quod sibi videretur, ita curas-

rasse ne quid societas sibi deberet, se jam neque vadari amplius neque vadimonium promittere, judicium, si quo secum agere velit Quintius, se non recusare. Haec Naevius vel dixit, vel Quintio ita dicere visus est. Is certe vadimonio solutum se credidit, et, cupiens rem Gallicanam revisere, ut videret quid tandem Naevius in Gallia egisset, eo profectus est. Diem si quaeris, Quintius pridie Kal. Feb. (Scipione et Norbano Coss.) se dixit profectum; Naevius contra eum Nonis Febr. et Romae fuisse et sibi vadimonium promisisse contendit (*Cap.* 6. §. 23. 24. *Cap.* 18. §. 57).

Aliquot igitur dies post quam exiisset ex Urbe Quintius, convocatis amicis, in forum venit Naevius, ad locum ubi convenire solebat Quintium, ibique vadimonium se stitisse, Quintium sibi non stitisse testificatus, tabulas ea de re confectas et a testibus consignatas Praetori Urbano Burrieno obtulit: petens ut, quoniam debitor sibi vadimonium deseruisset, et furtim in rem litigiosam abiisset, ideoque in suam fraudem latitare videretur, secundum id quod in Edicto scriptum esset, ejus bona a se possideri juberet. Quintius cum a nemine defenderetur, jussit Praetor (*Cap.* 6. §. 25. *Cap.* 19. §. 60). Dum haec Romae gerebantur, alia in Gallia Quintium manebat injuria: ut enim resciverat Naevius eum profectum esse, miserat statim, ante etiam quam Praetorem adiisset, qui servos in Gallia juberent Quintium de saltu communi vi dejicere. Dictum, factum: dejicitur Quintius, biduo postquam Praetor ejus bona possideri jusserit (*Cap.* 6. §. 28. *Cap.* 25. §. 79).

Quae cum per tempus legitimum i. e. XXX. dies possessa essent, a Naevio proscripta sunt: atque tum demum exortus est Quintii acerrimus defensor. Sex. nimirum Alphenus, eques Romanus, Quintii perfamiliaris procuratorem se dixit, libellos proscriptionis palam affixos dejecit, etiam Naevio servulum Quintii, quem jam apprehenderat, eripuit, caeterum professus est judicium, qua Naevius vellet formula, se accepturum (*Cap.* 6. §. 27. *Cap.* 19. §. 61, 62.): itaque Naevium secutus est in jus; is vero cum postulasset ut *judicatum solvi* sibi satisdaretur, satisdare recusavit: Praetore ita jubente Tribunos Pl. appellavit, atque facile pro familiaritate, quae sibi cum M. Bruto Tribuno Pl. erat, obtinuit ut is se intercessurum diceret, nisi quid inter partes convenisset (*Cap.* 7. §. 29. *Cap.* 20. §. 63. 65. *Cap.* 21. §. 69.). Hominis tunc plurimum potentis intercessionem Naevius pertimescens, satis habuit Alphenum sibi promisisse, Quintium Idibus Septembr. adfuturum. Stetit hoc vadimonium Quintius. At ne tum quidem inter partes res convenire potuit, et per annum et sex menses, vel ut alio loco dixit Cicero, per biennium in controversiis jacuit (*Cap.* 7. §. 29. *Cap.* 21. §. 66. 67.). Quod duplici de causa factum esse puto: tum propter ipsam rei expediendae difficultatem, tum per maximas reipublicae turbas, quae in illud tempus inciderunt. Rediit enim Scipione et Norbano Coss. in patriam Sylla, totaque Italia bello flagravit, neque Urbs, quae inde a Marii reditu triennium (1) sine armis fuerat, sine maximo tumultu a

(1) Cic. in BRUTO *Cap.* 90.

a Sylla est recuperata: nam ad ipsas portas cum Marianis, et cum Telesino, Samnitium duce, dimicavit, a quo (2) infestissimo Romani nominis hoste parum abfuit quin (3) Urbs caperetur; secuta est strages Marianorum, proscriptio, venditioque bonorum, quae usque (4) ad Kalendas Junias ejus anni quo haec oratio habita est, pertinuit. Neque hic omittendum est, in illa communi proscriptione bonorum, etiam Sex. Alpheni bona esse vendita, emtaque a Naevio, qui, ut Marianas viderat afflictas, ad Syllanas partes cum multis aliis transfugerat: is socium in ea emtione sibi edidit Quiutium; idcirco, ut opinor, ut etiam hic Syllanus factus videretur, atque sic ejus vita et bona salva essent (*Cap.* 24. §. 76. *Cap.* 21. §. 69.). Cum vero tantis reipublicae motibus sedatis de privatis rebus cogitari denuo posse videretur, et Quintium apud Praetorem Dolabellam convenisset Naevius, petiit, ut antequam judicio essent disceptaturi, Quintius sibi satisdaret ea formula, qua solerent ii, quorum bona a creditoribus per XXX. dies possessa essent. Quintius se satisdaturum negavit, nulla sua bona Edicto possessa esse dicens. Ut igitur finis negotio veniret, cum prius de re judicio agi non posset, quam quaesitum esset num bona Quintii vere Naevius possedisset, eaque de causa recte sibi satisdari postularet, jussit Prae-

(2) Vell. Paterc. II. *Cap.* 27.

(3) *Θορύβου, ὡς εἰκὸς, ὄντος ἐν τῇ πόλει, καὶ βοῆς γυναικείας καὶ διαδρόμης, ὡς ἁλισκομένων κατὰ κράτος.* Plutarch. in vita Syllae *p.* 470. E.

(4) Cic. pr. Rosc. Amer. *Cap.* 44.

Praetor, ut, de eo quod factum esse negare perseveraret Quintius, cum adversario sponsionem faceret: sive tali judicio contenderet, quo si bona possessa non fuisse judici a Praetore dato planum factum esset, certam pecuniae summam ante depositam a Naevio auferret, si contra evenisset, aliam tantam ipse solveret. Ejusmodi igitur sponsione agere Quintium jussit, aut statim satisdare. Conditio durissima videbatur: satisdare enim erat confiteri, quod maxime famam laedebat, bona a creditore esse possessa; sponsione agere id habebat incommodi, quod ipsi Quintio, cujus existimatio omnesque fortunae periclitabantur ita priori loco dicendum erat. Hoc tamen maluit, itaque C. Aquillium Gallum, JCtum illum celeberrimum, judicem sponsionis sumsit (*Cap.* 8. *Cap.* 9. *init.*). Is viros gravissimos, jurisque peritissimos in concilium vocavit (Cf. *Cap.* 16.). Naevius patronum invenit Q. Hortensium, qui tum temporis eloquentissimus civitatis habebatur. Quintii causam egit M. Junius: at quamvis saepius dictam numquam potuit perorare. Is vero cum legatus abiisset, ventum est ad Ciceronem (*Cap.* 10. §. 34. *Cap.* 1. §. 3.) Qui a Q. Roscio comoedo, cujus sororem Quintius in matrimonio habebat, maxime rogatus (*Cap.* 24. §. 77.) causam suscepit, atque hac tandem oratione peroravit.

Quae vero pro Quintio dixerit Cicero, cum melius intelligamus, si, quale judicium fuerit, quo summae Quintii res tunc periclitabantur, recte teneamus; pauca quaedam de origine, natura, et forma hujus instituti, quo sponsione facta res in judicium dedu-

ce-

cebantur, iis quae de ipsa oratione diceremus duximus esse praemittenda. Aget igitur

§. 3.

De origine, genere, et forma sponsionis judicii.

Fuit sine dubio antiquus ille litium componendarum modus, ut, cum ad sponsionem alter litigantium alterum provocasset, depositis pignoribus apud arbitrum contenderent, cujus vero jus optimum visum esset, ei et pignus ab adversario commissum cederet. Nihil enim in illam primaevam morum simplicitatem, qualem adolescentis, ut ita dicam, generis humani fuisse credimus, cadere fuit proclivius, quam tales sponsiones. Sic apud Poëtas (5), qui in carminibus illam antiquissimorum hominum vitam expresserunt, pastores ita inter se certantes videmus:

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque vicissim
Experiamur? — ego hanc vitulam
Depono: tu dic mecum quo pignore certes:

et ubi de pignore convenerit, arbitrum quaerentes;

Audiat haec tantum, — vel qui venit, ecce, Palaemon.

Neque credibile est, de majore in sua arte peritia, vel de aliis levioribus tantum, sed potissimum cum suum jus ageretur istos homines hoc modo contendisse. Homeri certe aetate hoc vel simile quoddam institutum dicas viguisse: qui (Iliad.

(5) Nimirum Bucolicos. Theocr. Idyll. VIII. Virgil. Ecl. III.

(Iliad. Σ. vs. 509.) de hominibus apud judices causam dicentibus haec ait.

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύο χρυσοῖο τάλαντα,
τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴπῃ.

Servarunt etiam in suo jure ejusmodi institutum Attici. Cujus rei testem excitasse sufficiat HARPOCRATIONEM in voc. *πρυτανεῖα*. Erant enim *πρυτανεῖα*, ut ait, *ἀργύριόν τι ὅπερ κατετίθεσαν οἱ δικαζόμενοι ἀμφότεροι, καὶ ὁ φεύγων καὶ ὁ διώκων. (τὰς δεκάτας τοῦ χρέους καταβάλλοντες)* (6). Victi autem cedebat aerario, ut docte ostendit VALESIUS ad Maussaci not. in Harpocr. *p.* 305. Erat illis et *παρακαταβολή*, i. e. pecunia, quam deponebant si contra fiscum agebant, vel etiam contra privatos, praesertim de hereditate: *καὶ τούτου ἐχρῆν αὐτοὺς στέρεσθαι εἰ τὴν δίκην ἡττηθεῖεν* idque, *τὸ πέμπτον μέρος τοῦ ἀμφισβητουμένου* (vid. Harpocr. in voc.). Si contra fiscum agebatur, ut sponte intelligitur, fisco cedebat; si contra privatum, victor recipiebat, ut intelligitur ex loco DEMOSTHENIS ex or. in Pantaenetum (*p.* 77. *edit. ster.*) citato Harpocrationi *l. l.*

Romanos vero antequam sponsione maxime in jure uterentur, antiquissimis temporibus reip. in judiciis saepe egisse legimus *sacramento*, isque agendi modus, ab Atticorum *πρυτανείοις* fere non diversus, fuit apud eos usitatus non tantum, verum etiam necessarius. Notum est, etiam post leges XII tabb. latas, per satis longum temporis intervallum, solis legis actionibus Romanos in foro disceptasse. Erant illae legibus proditae, et ipsarum le-

(6) Schol. Aristoph. citat. Valesio.

legum verbis accomodatae, atque ideo immutabiles proinde atque leges observabantur, ut qui in verbo ab iis discederet litem perderet: ut facile intelligatur, quamvis plures ejusmodi actiones essent, et varius agendi modus, multa fuisse, pro infinita rerum varietate, de quibus agi non potuisset, si de quibus rebus actiones non erant praescriptae, de his, ut sacramento ageretur, non fuisset constitutum (GAJUS VERON: *Lib.* IV. §. 11. *Seqq.*). Et sacramento quidem olim agabatur sic. Adibant litigantes Pontificem: (7) fuit enim Pontificum collegium, ut docemur a POMPONIO, (*in leg.* 2. §. 6. *de Orig. Jur.*), primus juris omnis interpretandi scientiae, et actionum instituendarum custos. Si nulla igitur, qua de re ageretur peculiaris legis actio reperiebatur, generali illa actione litigantes utebantur, qua ad pecuniam deponendam, ab eo qui temere egisset poenae nomine amittendam, se invicem provocabant: itaque dicebantur (8) *Sacramento se provocare* Cf. GAJUS, *Lib.* IV. §. 16. *et* 95. Deposita pecunia statim videtur judicium secutum esse (*Cf. Id.* § 15).; quo, poenam sacramenti ab adversario esse commissam utrimque contendebatur: atque sic. quamvis de certa re esset lis, tamen in personam judicium fiebat. Quo qui vincebat is *justum sacramentum* fecisse dicebat-

(7) Vid. Varro cit. ab Hotomanno ad *Cap.* 8. *h. or.*

(8) Vel *poena sacramenti se petere* ut est apud Asconium ad *Cap.* 9. *Lib.* 1. *in Verr.* Qui Asconii locus vitiosus visus est nonnullis, sed formulae, quae apud Gajum legitur, similitudine satis confirmati videtur.

batur: (vid. CICERO *in Orat.* pro Caecina *Cap.* 33.) et, ut VARRONIS verbis utamur. „ Suum sacramentum „ a sacro auferebat; victi ad aerarium (9) redibat." Scilicet propter aerarii inopiam, ut apud FESTUM in voce *Sacramentum* legimus (10), et sacrorum publicorum multitudinem: consumebatur igitur in rebus divinis. Quam pecuniam in hunc usum cessisse magis etiam probabimus, cum meminerimus, quod scriptum est apud DIONYSIUM HALICARNASSENSEM (*Tom.* 1. *p.* 134. *ed. Sylb.*), publice, ex instituto Regis Numae, sacrificia Fidei publicae facienda fuisse; quae ex nulla profecto pecunia melius, quam ex ipsis temere litigantium mulctis fieri potuisse videntur.

Cum vero, editis in vulgus legis actionibus, omnis Pontificum auctoritas in jure concidisset, et statim omnia apud Praetorem peragi coepissent, invaluit, ut, qui sacramento se provocassent, illam poenalem pecuniam apud aerarium non deponerent, sed Praetori eo nomine praedes darent: vid. GAJUS *Lib.* IV. §. 13. quo facto, post XXX. dies reversi judicem accipiebant. Vid. ibid. §. 15. Praeterquam in causis peculiaribus, in quibus Decemviri stlitibus judic. cognoscebant; cujus rei exemplum est apud Ciceronem pro Caecina l. c. et in gravioribus causis quae apud Centumviros agebantur; apud quos sacramento actum esse docemur a GAJO *Lib.* IV. §. 31.

(9) Ita pro *redibant* legendum esse vidit Hotomannus: Gajus *l. c.* §. 13. *et* 16. habet *in publicum cedebat.*

(10) Festus *l. c.* etiam hoc notat, sacramenta exegisse atque judicasse Tresviros Capitales, quos ad eam rem ex lege Papiria Praetor populum rogabat.

31. *et* 95. Ut, cum sacramenti actio cum caeteris legis actionibus esset abrogata, in Centumviralibus tamen causis in usu remanserit: in quibus omnia ad antiquum morem ideo peracta esse haud absurde quis suspicetur, quod de iis forte causis Centumviris esset judicandum, in quibus de ipsa lege, et de jure, quod ad omnes pertineret, quaereretur.

Abrogatis igitur legis actionibus, cum per concepta verba, seu per formulas in singulas res compositas agi coepisset, de multis, quae antea sacramento peragebantnr, mos invaluit ut sponsione ageretur. De sponsionibus igitur Romanorum aliquando videamus.

Erat autem sponsio verborum quidam contractus, quo ita vicissim contrahentes se obligabant, ut alter stipulatione, alter restipulatione teneretur. Cf. GAJUS *Lib.* IV. §. 13. Hoc fere modo: qui primus formulam intendebat sic alterum interrogabat: „ Si fundus ille (v. g.) meus est", (quod ita intelligendum quasi dictum sit, si judici, qui inter nos convenerit, planum facio, illum fundum meum esse,) „H. S...... mihi DARE SPONDES"? *Spondebat* alter verbo SPONDEO, ita restipulans: „ Ni tuus sit H. S...... (eandem summam nominabat) dare spondes"? *Respondebat*, qui primus interrogaverat, eodem modo. Utrimque igitur aequaliter et obligabant sub conditione, et obligabantur, ut, qui arbitri sententia sponsionem vicisset, ei, existente conditione, statim summam sponsionis alter deberet, idque sanctissima verborum obligatione obstrictus, contracta nimirum verbis *dare spondes* (11). Quorum

(11) Verbum *spondeo*, si originem spectas, pactionem sacris ri-

rum ea erat olim religio inter cives Romanos et peculiaris quaedam vis, ut fere jurisjurandi instar essent, et, cum caetera verba promittendi, fidejubendi, fidepromittendi communia haberent cum Graecis et caeteris gentibus, illa propria essent civium Romanorum, quin etiam nihil deberetur, si quid his verbis a peregrino stipulatus esset civis Romanus. (GAJUS *Lib.* III. §. 93 *et* 179.) Quod autem contrahentibus aequalis erat conditio, uterque *sponsionem facere* dicebatur. Sic in hac orat. CICERO in *Cap.* 9. de Quintio, in *Cap.* 14. de Naevio eam formulam usurpat: quod ad d. *Cap.* 14. animadvertit GARATONIUS.

De diversissimis rebus sponsiones ita faciebant atque saepe de iis, de quibus incredibile est umquam judicem sumtum esse. Exempla quae occurrunt apud LIVIUM *Lib.* XXXIX. *Cap.* 43. VALERIUM MAX. *Lib.* II. *Cap.* 8. §. 2. *et Lib.* VI. *Cap.* 1. §. 10. *etc.* saepius allata nolim hic referre. Sufficiat illud quod legitur apud CICERONEM in orat. in Pisonem *Cap.* 23. „Cum ego Coelimontana por-„ta introisse (Pisonem) dixissem, sponsione me, „ni Esquilina introisset homo promtissimus lacessi-„vit."

ritubus contractam eximie significasse dices. Est enim sine dubio conjunctum cum Graeco *σπένδω* (libo), unde *σπονδὴ* (libatio.) Atqui olim graviores res contrahebantur accedente libatione et caeteris sacrificii ritubus. Homerus Iliad. B. v. 339.

πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν
σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.

et Iliad. Δ. v. 158

οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν,
σπονδαί τ' κ.τ.λ.

„ vit." Ex quibus conficere licet, de nulla re tam parva controversiam incidere potuisse, ut non sponsione de ea quaeri posse videretur. Etiam in ludis, in iis nimirum in quibus virtutis erat certamen, v. g. si quis hasta certaret, vel pilo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, legibus sponsionem facere licebat, cum in caeteris in pecuniam ludere SCto esset vetitum. Vid. *leg.* 1. *et* 3. *ff. de aleator.*

Hic erat sponsionis usus extra jus. Ejusmodi autem sponsione interposita, cum formulae judiciorum legis actionibus successissent, controversias in judicium deducere Romani maxime coeperunt. Cum enim formulae in rem vel in personam, in quam agebatur, simpliciter possent intendi, ut, aio hanc rem meam esse — aio mihi dari oportere: saepius sic agi maluerunt, ut exemplum quod est apud GAJUM (*Lib.* IV. §. 93.) referamus: SI HOMO QUO DE AGITUR EX JURE QUIRITIUM MEUS EST, SESTERTIOS XXV. NUMMOS DARE SPONDES? Sequebatur sponsio alterius et restipulatio: tum qui primus interrogaverat, *ex sponsu agebat;* (Cf. *or. pr. Quint. cap.* 9.) i. e. formulam edebat, qua sponsionis summam sibi dari oportere intendebat. Eâ igitur, cum probasset suum esse de quo ageretur, vincebat: adversarius verborum solennitate munitissima obligatione illos nummos non tantum solvere cogebatur, sed ipsa res, de qua sponsio erat facta, judicata existimabatur: ut haud alius effectus sponsionis in judicio fuisse videatur, quam ille, quem etiam in jure Romano jurisjurandi videmus. Vid. v. g. *L.* 5. §. 2. *L.* 9. §. 1. *ff. de Jurej.* Id vero

 ex

ex supra apposito exemplo intelligimus, id quod diximus de sacramento etiam de sponsione verum esse: ea nimirum interposita, etiamsi de re ageretur, judicium in personam converti. Differebat autem sponsio a sacramento, quod, qui sponsione agebat, ipse ut sibi daretur stipulabatur; sacramenti vero poenam aerario cessisse vidimus. Etiam hoc differebant: sponsionis illa pecunia dicis causa, ut aiunt, stipulabatur, ut exigua illa pecunia, quam in supra cit. exemplo videmus stipulatam, satis ostendit, neque illi nummi exigebantur, sed hac unice de causa sponsio fiebat, ut per eam de re judicari posset: adeoque non tam erat poenalis quam praejudicialis. Vid. GAJUS *Lib.* IV. §. 94. Sacramenti autem pecunia revera erat poenalis, et solvebatur: et quamvis illa poena, quae, teste GAJO *l. c.* §. 14. quingentorum erat assium si de rebus M. aeris plurisve agebatur, quinquaginta assium si de minoribus, nobis perexigua videatur: eo quo instituta est tempore talem habitam non esse, docent sequentia apud GAJUM, docentem, de homine si controversia esset, ut L. assibus ageretur fuisse cautum: ne scilicet adsertores magnitudine poenae ab agendo deterrerentur. Duae tamen erant causae in quibus vere sponsio erat poenalis, in causa nimirum creditae pecuniae, vel constitutae. Si de certa credita agebatur, cum tertia parte sponsio fiebat, quae dicebatur *pars legitima.* Vid. CICERO in orat. pr. Roscio Com. *cap.* 5, 4. Si de constituta agebatur, partis dimidiae sponsio fiebat. Vid. GAJUS *Lib.* IV. §. 13 *et* 171.

Neque de lite principali tantum ita per sponsio-

sionem agebatur, sed de multis etiam intervenientibus quaestionibus sponsione facta disceptabatur. Neque id tantum fiebat consentientibus adversariis altero alterum provocante, sed fiebat etiam, jubente Praetore, ab invito. Atque hoc ipsum est, quod in causa Quintii factum videmus. Judicium erat pecuniarium: petebat Naevius a Quintio quam sibi deberi aiebat pecuniam ex causa societatis, quae sibi fuerat cum fratre Quintii. Quintius non recusabat quin ita secum ageret; at Naevius prius volebat judicatum solvi sibi satisdari, quoniam bona Quintii possessa essent: Quintius possessa negabat. Praetor igitur, ut interveniens illa quaestio dijudicaretur, jubebat Quintium, si satisdare nollet, sponsionem facere: *si bona sua ex Edicto possessa non essent.* Ea nimirum erat formula, quam Quintium intendere volebat, cum Naevium primus sponsione obligaret. Non aliter igitur legenda videtur in *Cap.* 8. *et* 27. *h. or.* utroque enim loco dicitur ex persona Praetoris, qui formulam ita nuncupabat, uti erat usurpanda ab eo, quem primum sponsionem facere jubebat; plane ut qui adversarium ad sponsionem provocabat, eam formulam addebat, qua eum contendere secum volebat: ut exemplum est in loco Cic. cit. ex or. in Pison. (12). Nam ita minus recte Quintianam sponsionem explicavit SIGONIUS, in *Libr.* I. *de Judic. Cap.* 21. Naevium primum faciens agentem: quod si verum sit, etiam Naevio primo loco ex sponsu agendum fuisset; quae

(12) Cf. Act. II. in Verrem *Lib.* III. *c.* 57, 59. pro Caecina *Cap.* 16. Gellius *Libr.* XIV. *Cap.* 2. *in fin.*

quae fuit, ut ex saepius integrata Ciceronis querela novimus, ipsius Quintii conditio. Et recte Quintium sponsionem facere jubebat Praetor, temere enim videbatur adversario contradicere, cum ipsum decretum, quo hic in ipsius bona missus esset, exstaret. Haud aliter, ut opinor, quam, si jurejurando res peragenda fuisset, Quintium jurare Praetor jussisset: ac veluti, si jusjurandum ab eo petitum esset, aut satisdare, aut jurare coactus esset: cf. *L.* 34. *§.* 6. *ff. de jurej.* ita nunc sponsionem facere jusso, vel Praetoris decreto, vel adversarii postulationi erat obtemperandum. Atque hac opportunitate id moneamus, multa esse capita doctrinae Juris Rom. de jurejurando, quae cum iis, quae de sponsionis usu in judicio scimus, videntur convenire. Id igitur non sine causa suspicemur, sponsionem tum maxime in desuetudinem abiisse, cum more Graecorum jurisjurandi usus crebrior in judiciis factus esset, quod non uno tempore factum est, sed „ in usum „ venisse" ait GAJUS in *leg.* 1. *ff. de jurej.* Credibile autem est, cum remedium illud litium finiendarum facillimum pervulgari coepisset, sponsionis ambages longiores visas esse, atque jacuisse: quo factum, ut nihil fere de sponsione jam in Pandectis reperiatur.

Vidimus quomodo sponsione facta de rebus judicio disceptaretur; pauca addenda videntur de eo, qui in tali judicio sedebat judex. Sumebatur ille ab actore sponsione facta: sic in *Cap.* 9. *h. or.* a Quintio sponsionem factam, tum judicem sumtum, atque e sponsu actum videmus. Dabatur vero a Praetore, cujus erat arbitrium, an forte aliqua

de

de causa in hoc judicio judicare prohiberetur. Vid. SIGONIUS *de Judic. Lib.* I. *Cap.* 23. Nam ipsi magistratus, quibus erat jurisdictio, olim, ut nemo nescit, non judicabant, sed, exceptis quibusdam causis in quibus ipsi cognoscebant, judicia, sive, ut postea loqui maluerunt, actiones dabant et judices, qui causam cognoscerent, quorum ipsi sententiam exsequebantur. Eligebant igitur quotannis ad hanc rem homines privatos, honesto loco natos, juvenes ut videtur, neque ullo adhuc munere functos. GELLIUS certe (N. A. *Lib.* XIV. *Cap.* 2.) narrat, se, ut judicia privata susciperet, adolescentem in judices a Praetoribus lectum. C. Aquilium etiam, quem, ex orat. pro Cluentio *Cap.* 53. Praeturam demum eodem quo Cicero anno gessisse scimus, cum in causa Quintii judicaret, nullo munere publico functum fuisse verosimile est. Nam in ea, quae in *Cap.* 4 §. 17. huj. Or. memoratur re, non Quaestoris, quod quidam putarunt, sed arbitri partes illi fuerunt. Neque audiendus P. MANUTIUS, qui ad *Cap.* I. *h. or* publica judicia et privata confundens C. Aquilium, ut in hac causa judicare posset, senatorem esse oportuisse existimavit. Ex hisce judicibus igitur unus actori a Praetore dabatur, non tamen nisi consentiente adversario; nam neminem, ut notissimis CICERONIS verbis utar, Romani „ judicare voluerunt, nisi qui inter adversarios con„ venisset."

Non semper Praetor judicem dicitur dare; in diversis enim causis dabat vel *judicem*, vel *arbitrum*; dabantur et *recuperatores*. In omnibus causis, in quibus certum quid petebatur, (quae judicia *strictì* ju-

juris sunt,) de quibus judicabatur ex formula, in qua Praetor judici praestituerat ad quod reus esset condemnandus, in his dabatur *judex*. Exempla sunt ap. GAJUM lib. IV. § 43. 47. 86. etc. In omni igitur sponsionis judicio judex dabatur, certum enim in iis petebatur, scilicet summa sponsionis: in causa igitur Quintii, in causa Roscii Comoedi judicem videmus judicasse. In causis vero, in quibus non utrum deberetur, sed quantum deberetur quaerebatur, et quae cognoscebantur ab eo, cujus arbitrio Praetor reliquerat ut statueret ex fide bona quantum alter litigantium alteri solveret, is qui dabatur dicebatur *arbiter*. Exemplum sit causa illa T. Claudii Centumali, de qua CICERO in *lib.* III. *de Off. cap.* 16. — Hinc apud Ciceronem in orat. pr. Roscio Com. cap. 4. *judicium* eximie dicitur, quod postea JCti dixerunt judicium stricti juris, et opponitur *arbitrio*, quo nomine significatur JCtorum judicium bonae fidei. Et in cap. seq. ejusd. orat. judiciorum genera enumerat haec: *judicia legitima* i. e. judicia κατ' ἐξοχήν, quae vere talia sunt, tum *arbitria honoraria*, quae, ut ipse ait in orat. pr. Caecina cap. 2. „ non severitatem judicis ac vim sed honorariam „ operam amici requirunt:" qui scilicet ex aequo et bono quid debeatur decidit; et 3°. *officia domestica*, quo significantur arbitria privata ex compromisso vel alia: judicia, enim „ distrahendarum con„ troversiarum causa suscepta," ut dicitur in dict. cap. 2. „ persaepe disceptatore domestico dijudi„ cantur." Haud semel tamen ipse Cicero communi appellatione judicis et judicii arbitrium Praetorium significavit; et postea inprimis *arbitri* dicti sunt, qui

qui extra judicium sumebantur; *judices*, qui a Praetore dabantur (13).

Recuperatores plerumque dabantur in iis judiciis quae imperio continebantur: GAJUS *Libr.* IV. §. 105: sive quae ex sola Praetoris, vel Proconsulis auctoritate pendebant. Hinc, cum omnia judicia extra primum Urbis milliarium imperio continerentur, frequente mentio fit Recuperatorum (14) in jurisdictione provinciali. Romae vero, praeter ea judicia, in quibus persona peregrini interveniebat, (haec enim sub uno judice accipiebantur), omnia quae imperio continebantur erant recuperatoria. Videmus igitur in causis possessoriis, in quibus de Praetoris decreto quaerebatur, recuperatores judicasse, ut exemplum est illustre in causa Caecinae. Item de injuriis quae a Praetore aestimabantur, qualis est liberti, qui patronum contra Edictum in jus vocaverit. GAJUS *Libr.* IV. §. 46. Nam cum injuriae poena in XII. Tabulis constituta levis visa esset, Praetores injuriis aestimandis se recuperatores daturos esse edixerunt. Vid. GELLIUS *Libr.* XX. *Cap.* 1. Pari modo, cum lege Aquilia lenius animadversum videretur in eos, qui armatis hominibus

(13) Cicero in orat. pro Roscio Amer. *Cap.* 39. in causa mandati condemnatum ab arbitro omnem honestatem amittere ait: quod videtur pugnare JCtorum rationi v. g. in leg. 32. §. 6. *de rec. qui arbitr.* leg. 13. §. 5. *de his qui not. inf.* Sed JCti intelligunt arbitrum compromissarium, Cicero a Praetore datum.

(14) Div. in Caecil. *Cap.* 17. Act. II. in Verr. *Libr.* III. *Cap.* 12. *seqq. Cap.* 21. *seqq. Cap.* 58. *in fin. seqq. Cap.* 65. or. pr. Flacco *Cap.* 20.

bus damnum darent, acrius judicium composuerunt Praetores, in quo ut damnum aestimarent recuperatores dederunt. Cf. Fragm. Orat. pr. Tullio Edit. ab ANGELO MAJO.

Sed unus cum dabatur judex, non solus rem cognoscebat; sed advocabat sibi *in consilium* alios, viros sibi amicos, et, cum ipse haud raro junior esset, quos poterat juris peritissimos et in patrociniis et operis fori celeberrimos. Ita se fecisse GELLIUS narrat (*Libr.* XIV. *Cap.* 2). Neque id neglexisse Aquilium, nomina in *Cap.* 17. *h. Or.* ut postea videbimus, declarant. Etiam in Orat. p. Roscio Com. laudatur „ eximius splendor advocationis." Cum his viris, antequam sententiam diceret, judex *in consilium ibat;* i. e. de re deliberabat. Cf. Orat. pr. Quintio *Cap.* 10. Cum uno die finis negotio venire non potuisset, verente judice de re difficili sententiam ferre, vel, re non perorata, cum dies dicendo exemtus esset, (15) *consilium dimittebatur.* Judicium ita saepius poterat proferri, ut novimus ex Orat. pr. Caecina *Cap.* 2. et 3. Neque Praetoris erat judici praestituere intra quod tempus sententiam diceret. Cf. Orat. pr. Quintio *Cap.* 9. *in fin.* Illud enim Graecorum institutum ad clepsydram dicendi, quo intra temporis angustias causae dicentes concludebantur, Romani ignoraverunt (16). Legibus tamen aliquando in certis causis

(15) Quod fiebat aliquando ab his, qui causam judicari nolebant et moras quaerebant; qua de re venustus locus est apud Ciceronem in orat. pro Tullio *init.*

(16) „ Nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et „ liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi „ quis-

sis introductum est: ut lege Pompeja de ambitu, qua ternae horae ad dicendum dabantur, cujus meminit CICERO in Bruto *Cap.* 94. In causa etiam C. Rabirii semihoram, ad perorandum Ciceroni videmus fuisse praestitutam. Caeterum, si jurare mallet judex sibi non liquere, sententiam ferre non cogebatur. Cf. GELLIUS *l. c. in fin.*

Vidimus hactenus de iis, quorum notitia ad universam hujus orationis intelligentiam pertinent. Cum igitur jam appareat, quando, et in quanam causa, et in quo judicio dicta sit, ipsam perlustremus, et quibus rationibus ad causam Quintii probandam usus sit Cicero, diligenter pro nostro modo dispiciamus.

„ quisque sumebat. Primus, tertio consulatu, Cn. Pompejus „ adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae." Auct. Dial. de caus. cor. eloq. *Cap.* 38.

PARS SECUNDA.

CONSTITUTIO ORATIONIS

ET

SINGULARUM, QUIBUS IN CAUSA P. QUINTII PROBANDA CICERO USUS EST, RATIONUM EXPLICATIO.

In hac operis parte ita versabimur, ut, primum, quam fieri possit brevissime, summam totius Ciceronis orationis referamus, ut quo loco quidque dixerit appareat, quave ratione argumentorum quasi agmen in adversarios eduxerit. Brevitatem consequi licuit, quoniam Ciceronis ratio in disponenda hac oratione non adeo difficilis est, ut multis verbis eam explicare necesse sit. Nec tamen orationis constitutionem, seu quasi quamdam descriptionem apponere hic omisimus; commodius enim sic, quod est secundum,

dum, in quo elaborabimus, de singulis, quibus Quintii defensio nititur, rationibus quaedam dicemus.

In EXORDIO orationis conqueritur Cicero pessimam conditionem, qua cum adversario Quintius contendat. Naevius enim gratia floret principum in civitate virorum: Quintii est maxima solitudo. Ille patronum invenit Hortensium, omnium qui sunt in civitate disertissimum, hic a Cicerone in causis dicendis parum exercitato defenditur: cui et hoc accidit incommodum, ut, priore patrono M. Junio absente, exigui temporis usuram habuerit ad causam difficillimam cognoscendam. Eoque magis fides judicis in hacce causa est imploranda, quod nobiles illi Naevii patroni Quintium ita apud Praetorem gratia oppugnarunt, ut is judicium de Quintii existimatione, prius quam de re pecuniaria, unde omnia haec nata sunt, fieri maluerit: idque ipsum ita constituerit, ut Quintio, cujus caput in periculum vocatur, priori loco dicendum sit. (cap. 1 et 2.)

Sequitur NARRATIO totius rei. (cap. 3—10.)

Tum PARTITIO defensionis, Quintium recte sponsionem fecisse. Ut igitur vincat ejus bona ex Edicto possessa non esse, haec tria se ostensurum Cicero pollicetur:

I. Injuria Naevium postulasse ut in bonorum Quintii possessionem mitteretur.

II. Jure neminem omnino potuisse ex Edicto bona Quintii possidere.

III. Naevium ne facto quidem possedisse, vel possidere conatum esse bona, quorum possessio ipso jure erat nulla.

CONFIRMATIO.

I.

Injuria Naevius ut in bona Quintii quasi debitoris sui mitteretur postulavit: nam

Primo. Quintius Naevio nihil debuit: etenim

Naevius post mortem C. Quintii biennium fere cum Publio fuit, neque ex societatis ratione, neque privatim Caium quidquam sibi debuisse dixit: post biennium demum petivit tempore P. Quintio solutionis difficillimo. (cap. 11. 12.)

Conditiones aequissimas repudiavit, omniaque judicia fieri maluit quam de ipsa causa pecuniaria. (cap. 13. 14.)

Secundo. Verum sit Quintius Naevii debitor quam maxime: causam tamen dederit postulandi oportet, ut hic jure Edictum postulasse videatur. Naevius aliud nihil dicit quam hoc; Quintium in Galliam profectum esse, et vadimonium sibi deseruisse. Sed

Ab omni humanitate remotum esse oportet eum, qui, cum vadimonium quis sibi non steterit, statim ad Praetoris Edictum, quod extremum creditori remedi-

dium majores esse voluerunt, confugit: multa ante fieri possunt, quae, dum cupidissime in socii fortunas ferebatur, Naevius neglexit. (cap. 15—18.)

Praeterea non verum est vadimonium desertum esse; eo enim ipso die, quo dicitur promisisse, Quintius Romae non fuit: id testibus confirmabitur. (cap. 18.)

II.

Bona possideri non poterant; quoniam in Edicto nulla causa est memorata, ex qua in bonorum alicujus possessionem mitti possit, quae ad Quintium pertineat. Nam

Fraudationis causa non *latitavit*.

Non etiam dicitur *exsilii causa solum vertisse*. (cap. 19. sed horum capitum explicatio periit.)

Non certe dici potest, quod in Edicto additur, *a nemine defensus:* Procuratorem enim reliquit Sex. Alphenum Equitem Romanum locupletem, quem ipse Naevius saepe reliquit: is, quidquid Naevius dicat, omni Procuratoris officio satisfecit.

Ipso tempore Quintium defendit; scilicet cum Naevius ejus bona proscribere et attingere coepisset: libellos proscriptionis dejecit.

Naevium in jus secutus est, accepit judicium quod iste voluit. (*Cap.* 19.).

Noluit quidem satisdare, quod Naevius pos-

postulabat; sed iniqua erat postulatio. (*Cap.* 20.).

Praetor jussit inique: appellavit igitur Tribunos Pl. in eo etiam summe constitit Procuratoris officium.

Unus Tribunorum dixit se intercessurum; neque refert qua causa motus intercesserit, constet modo jure esse appellatum. (*Cap.* 21. 21.).

III.

Jure igitur bona Quintii possideri non poterant; sed ne facto quidem Naevius possedit.

Primo Ex Edicto non possedit, nam

Nihil factum est eorum, quae fieri solent cum alicujus bona ex Edicto possidentur: bona vendita non sunt: caeteri creditores sponsoresque numquam convenerunt: non Naevium testimoniis adjuvant; imo potius pro Quintio testimonium dicunt. (*Cap.* 23.)

Emtis Alpheni bonis Naevius socium sibi edidit Quintium, quod, si ejus bona possedisset, absurdum esset. (*Cap.* 24.)

Biduum post Edictum a Naevio impetratum de praedio communi in Gallia dejectus est Quintius Naevii jussu; dominum autem dejicere vetabat Edictum, non igitur ex Edicto possedit Naevius. (*Cap.* 24. *m.* 28.)

Secundo Omnino Naevius non possedit; ratio, qua in bonis Quintii versatus est, repugnat universae possessionis notioni. Bonorum posses-

sessio enim non spectatur in aliqua parte bonorum; sed in universis quae possideri possunt. Naevius autem universa Quintii bona non possedit non tantum, sed ne attingere quidem conatus est. (Haec pars orationis periit Cf. §. 89, *et* 90. *Cap.* 29.)

Sequitur PERORATIO, cujus duae sunt partes: enumeratio (*Cap.* 28. 29) et amplificatio (*Cap*, 30. 31).

Ut igitur rite procedamus in singulis explicandis, quae ad Quintii defensionem a Cicerone allata sunt, paucis primum videamus

De Exordio Orationis.

Id enim vel maxime ad causam Quintii judici commendandam Cicero pertinere voluit, quod in exordio dixit de iniquitate Praetoris, qui, cum judicium pecuniarium esset, sponsionem de existimatione facere Quintium jusserat, quin eam *capitis* causam priori loco illum dicere voluerat. Praetorem vix aliter facere potuisse quam fecerit, in priore parte opinor ostendimus, idque in ratione sponsionum fuisse, ut, qui facere jussus esset, priori loco diceret. Concedendum tamen est Quintii conditionem fuisse durissimam, quod facile quisque sentiet, qui cogitaverit, quam vim in omnem ejus vitam habere posset illud judicium, in quo priori loco dicere cogebatur. Id, quoniam ad querelam per totam orationem Ciceronis late sparsam pertinet, non inutile erit hic explicare.

Et *caput* quidem Quintii hac sponsione in dis-

crimen vocari, accurate et ad JCtorum sensum loquenti dici non posse facile intelligitur, ut magis id oratorie quam vere Cicero dixisse videatur. Quod non fugit viros doctos HOTOMANNUM ad *Cap.* 2. h. or. et ERNESTUM in Clav. Cic. voce *Caput.* At quamvis Quintius, etiam si ejus bona possessa esse Aquilius pronuntiasset, jura civitatis idcirco non amisisset, erat tamen eas in angustias adductus, ut vel sponsionem ipsi vincere necesse esset, vel condemnationem pati, qua graviter ejus fama non tantum apud omnes bonos laederetur, sed etiam status in civitate in discrimen posset venire. Et cum „ *capitalis causa* latine loquenti„ bus" ut ait MODESTINUS citatus ab Hotomanno, „ omnis causa existimationis videatur, quamvis ap„ pellatio *capitalis* mortis vel amissionis civitatis in„ telligenda sit" (sensu juridico), potuit Cicero ad causam amplificandam et misericordiam captandam, cum revera esset gravissima, capitalem appellare. Quare autem existimatio Quintii hac sponsione in discrimen vocaretur, triplex mihi videtur fuisse causa.

Primo: Sponsio ita erat facta, ut Quintius si ejus bona ex Edicto possessa viderentur, condemnandus esset. At illud ipsum, bona alicujus possessa esse atque vendita, magnum vulgo dedecus habebatur. Qua de re illustris est locus in *Cap. huj. or.* 15, ubi operae pretium est Ciceronem audire, eorum, quorum bona judicis auctoritate venduntur, miseriam oratorie amplificantem. Sed in jure etiam, cujus bona possessa proscriptaque erant, ejus suspecta persona habebatur. Cf. GAJUS *Libr.* IV §. 102. Hinc etiam injuria committi

ri intelligitur, si quis bona alicujus quasi debitoris, sciens eum nihil sibi debere, proscripserit. Cf. GAJUS *Libr.* III. §. 220. et §. 1. Inst. *de injur.* Bona Quintii vendita quidem non erant, si vero juste possessa comperiebantur, ab eo, qui falso se Procuratorem dixerat, venditionem vi prohibitam esse dicendum erat: vim autem adhibuisse id etiam existimationem minuebat; cf. CICERO in orat. pro Caecina cap. 2.

Secundo: Edictum, quo creditores in bonorum possessionem mittebantur, non dabatur nisi iis, ut postea videbimus, *in quorum fraudem* constabat debitorem latitasse. Naevius eo ostendebat Quintium in suam fraudem latitasse, quod vadimonium sibi deseruisset. Contra Quintium igitur non poterat sententia dici, ut non vadimonium etiam deseruisse judicaretur: quod etiam magnum dedecus habebatur, ut, qui illud fecissent, perfidi atqud infames viderentur. vid. HOTOMANNUS ad *Cap.* 13. h. or. et MURETUS in comm. ad *Catil.* II. *Cap.* 3. Homines autem plebeji ejusmodi vitae ignominiis notati haud raro a Censoribus ex albo centuriae suae tollebantur, ut aerarii fierent, cf. ASCONIUS in Div. in Caecil. *Cap.* 3. atque ordine moti legum auctoritate publice existimatione plectebantur, haud secus atque illi, qui in Edicto Praetoris infamia notabantur: ita certe de ordine motis sui temporis loquitur JCtus CALLISTRATUS in leg. 5. §. 2. ff. *De extraord. Cogn.* Atque haec cogitabat Cicero, cum saepius in hac oratione quereretur Naevium id agere, ne Quintius *diutius in civitate esset, inter vivos numeraretur* caet.

Tertio: Non in creditoris fraudem simpliciter latuisse, sed *socium* fraudare voluisse Quintius visus esset. Socii appèllatio hic rursus non ad JCtorum acumen est exigenda, sed ex communi loquendi usu intelligenda: quem etiam Cicero in hac oratione secutus est, saepius, ut majorem opinor in Naevium indignationem concitaret, Quintium Naevii socium appellans. Satis enim notum est societatem ultra mortem non porrigi, ut dicitur in L. 52. §. 9. ff. *pro socio.* Nulla igitur post mortem fratris P. Quintio cum Naevio fuit societas, sed rerum communio, ut in jure loquuntur, vel communiter gestum. *Societatem hereditariam* vocavit talem communionem Cicero in *Cap.* 23. h. or. et diserte opposuit *voluntariae* i. e. verae et genuinae societati, quae non contrahitur nisi inter consentientes. Quo sensu voluntariam societatem etiam dictam esse Ulpiano adnotavit CUJACIUS: Obs. *Libr.* X. *Cap.* 25. Cum igitur heres socii socius in jure non habeatur (17), Quintio metus esse non poterat, ne hac sponsione praejudicium fieret de judicio famoso: heres enim pro socio condemnari non potest suo nomine; infamis autem non fit, nisi qui suo nomine condemnatus est. vid. *L.* 6. §. 6. ff. *de his qui not. inf. L.* 1. *eod.* At vel sic tamen, si nomen sanctissimum societatis, quae ut sermone ita et opinione ad heredem transferebatur, et arctissima illa necessitudo, quam fortuna ipsi cum Naevio esse voluerat, et fraterna illa societas a Quintio violata esse videretur, haud aliter fieri po-

(17) L. 40. ff. *pro socio.*

poterat, quin etiam hanc ab causam, graviter ejus existimatio apud omnes bonos, non victa sponsione, laboraret. Has igitur gravissimas ob causas cum Quintii existimatio hac sponsione periclitaretur, potuit Cicero jure queri, quod in tali judicio priori loco dicere cogeretur; potuit illud ipsum judicium ex communi usu loquendi capitale appellare.

Hactenus de orationis exordio: de narratione quam potissimum in §. 2. Partis 1. hujus opusculi expressimus, cum hic de ipsa Ciceronis defensione disquiramus, non videtur dicendi locus. Ad singulas igitur, quas in partitione orationis fecit, causae dictionis partes jam aliquid adnotemus.

Ad partem primam.

Incipit Cicero quaerere ab eo ipso, quod omnium primum requirebatur, ut quis Edictum obtinere posset, quo in bonorum alterius possessionem mitteretur: nimirum, an creditor esset. Crediror qui non erat, non poterat possidere, atque nihil agebat tali postulatione. vid. *l. 12. pr.* Cf. *de reb. auct. jud. poss. L. 9. Cod. eod.* quin actio injuriarum in eum dabatur, ut supra vidimus. Quibus indiciis usus sit Cicero, ut perquam vero simile fieret Quintium Naevio nihil debuisse, vidimus. Re ipsa, et ex literis rationibusque societatis id evincere non poterat; erat hoc quidem in re, sed non in causa. Non de re pecuniaria quaerebatur sed de possessione bonorum; quae ut justa videretur, multa concurrere debebant

 prae-

praeterquam illud, constare quidquam debitum esse. At noluit tamen de ipsa re, unde omnia nata erant, tacere Cicero, ne si debitorem Naevii Quintius se confiteri visus esset, inhumanitas atque cupiditas hominis, qua in fratrem socii ferebatur, minus indigna videretur. Laborabant enim qui sponsionem fecerant, non tantum ut summo jure vincerent, sed ut aequitatem causae, in qua fecerant, probarent. Hinc est illud CICERONIS in orat. pro Caecina *Cap.* 4. „ Si forte videbor altius initium rei demonstran„ dae petisse, quam me ratio juris, et jus de quo „ judicium est, et natura causae coëgerit, quaeso „ ut ignoscatis. Non enim minus laborat A. Cae„ cina ne summo jure, quam ne certum jus non „ obtinuisse videatur." Et in orat. pro Roscio Com. *Cap*. 5. cum primum ostenderit sponsionem summo jure recte factam esse, ait. „ Hic si finem faciam „ dicendi — satis formulae et sponsioni, satis eti„ am judici fecisse videor, cur secundum Roscium „ judicari debeat. — Quid ergo est? quod — judex „ est is, quem non minus bene de nobis existi„ mare, quam secundum nos judicare velimus: per„ inde ac si in hanc formulam omnia judicia le„ gitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia „ domestica conclusa et comprehensa sint perinde „ dicemus. Illa superior oratio fuit necessaria, „ haec erit voluntaria: illa ad judicem, haec ad C. „ Pisonem: illa pro reo, haec pro Roscio: illa vic„ toriae, haec bonae existimationis causa comparata."

Alterum quod quaerebatur, cum quis decretum, de quo agitur, postulabat, illud erat, num debitor fraudandi causa in causam in Edicto memoratam incidisset, ea-

eaque mente, ut eum ipsum fraudaret, qui postulabat, eique ipsi revera fraudi fuisset. Cf. *L.* 7. §. 5. 6. 7. 13. ff. *Quibus ex caus. in poss. eat.* *L.* 9. Cod. *De bon. auct. jud. poss.* Atque illud est quapropter, secundo loco, in hac prima parte causae dictionis, quaerat Cicero de vadimonio, quod Naevius Quintium sibi non stitisse contendebat. Naevius enim in postulando hac erat usus ratione; Quintium furtim in Galliam profectum esse, ibique latitare, idque in suam fraudem esse; vadimonium enim sibi esse desertum. Id igitur si non verum reperiebatur, cum nullam aliam causam afferre posset, ob quam in suam fraudem abiisse videretur Quintius, sequebatur, etiamsi certissimum esset Quintium latitasse, id in Naevii fraudem certe factum non esse, Naeviique postulationem etiam hac ratione nullam fuisse.

Quod autem, priusquam doceat Cicero vadimonium non esse desertum, quam inhumanum sit ostendat, bona statim proscribere ejus qui vadimonium non steterit, id magis pertinet ad odium in Naevii personam concitandum quam ad justitiam causae quam defendit. Si quod de vadimonio dixit Naevius verum fuit, nullus dubito quin summo jure causam habuerit bona Quintii proscribendi; sed quod tam cupide in propinquum eo jure usus esset, id merito Cicero reprehendit, neque Romanorum quemquam id probavisse crediderim, qui, ut vere docuisse videtur Cicero, a majoribus acceperant, non hoc ultimo remedio nisi raro, et cum frustra omnia experta essent utendum esse. Id vero, quod addit Cicero in *Cap.* 16. §. 51. *h. or.* Praetores ut

ut considerate fieret comparasse, confirmatur apud CAJUM *Libr.* III. §. 79, qui diligenter iis curandum fuisse dixit, ne vivi facile bonorum venditiones paterentur.

Sed cum in nostram disputationem non cadat quaestio, num vadimonium deseruerit Quintius, quippe tota pendens ex testium fide, quos ab inferis excitare non possumus, satius erit, his missis, de natura et forma istius vadimonii, in quo diu res Quintii jacuerant, monuisse. Nam vadimonium non fere cogitamus nisi praestitum apud Praetorem, reo in jus vocato. Cf. HEINECCIUS in Antiq. ad Inst. *Libr.* IV. tit VI. §. 20. Sed hic plane alia res erat; vadimonium enim non erat re in judicium deducta, sed dum id ipsum agebatur, ne res in judicium deduceretur. Quintius nimirum Naevium appellavit, ut videmus in *Cap.* 5. „ ut „ quam primum, et quam minima cum molestia „ tota res transigeretur." Uterque igitur arbitrum, dedit; qui cum rem frustra componere studerent, saepe vadimonia sunt promissa, apud eosdem arbitros, cum eo die finis negotio non venisset, (18) alio certo die stiturum. Ita accipienda videntur verba in *Cap.* 5. „ Res nullo modo convenire po„ terat. — Itaque ex eo tempore esse in vadimo„ nium coepit." Nam si illud intelligendum sit, cum res apud arbitros convenire non posset, ventum esse ad Praetorem, mentionem factam videremus judicii ab eo dati; at de judicio demum actum videmus Alphenum inter et Naevium. (vid. *Cap.* 19.) At-

(2) Gajus Libr. IV. §. 184.

Atque eo die cum Naevius clamabat, vadimonium sibi desertum esse, non amicos testes adhibuisset, si res jam apud Praetorem fuisset, sed ipsum Praetorem, vel, judice jam dato, ipsum judicem testatus esset, Quintium vadimonium, quod apud ipsum promiserat, non stitisse.

Ne vero cui mirum videatur, promissum extra jus illam habuisse vim, ut, qui violasset, ejus bona ex Edicto Praetoris possiderentur, illud notandum, non sine solemnitate tale vadimonium contractum esse, sed more stipulationis accedente satisdatione. Vadimonia aliquando satisdatione firmata esse videmus apud GAJUM Libr. IV. §. 185. Illud autem vadimonium, de quo in hac oratione legitur, cum satisdatione contractum fuisse intelligimus ex *Cap.* 18. *h. or.* ubi Naevii *adstipulator* commemoratur. Nimirum in satisacceptione, cum is qui interrogatus erat respondisset, erant qui ab eodem interrogati idem promitterent: id dicebatur *appromittere*, et qui ita promittebant *appromissores* vid. *L.* 5. §. 2. *et* 3. *ff. de verb. obl.* iique pro diversa, qua in promittendo utebantur formula, vel *sponsores*, vel *fidepromissores*, vel *fidejussores* dicebantur. Vid. GAJUS Libr. III. §. 115. seqq. qui commune nomen *appromissoris* non habet; quales Quintii sponsores in vadimoniis, quae cum aliis contraxerat, commemoratos videmus in *Cap.* 23. *huj. or.* Quo magis autem petitori caveretur atque etiam ei qui promiserat, aderat illi *adstipulator:* ut si ipse petitor ad vadimonium non venisset sive dolo, sive justa causa impeditus, reus cum adstipulatore agere posset, qui petitoris personam ita sustinebat, ut etiam ei solvi posset

perinde ipsi petitori. Vid. GAJUS Libr. III. §. 111. adeo ut ipse nihil amplius petere posset, sed contra adstipulatorem agendum esset vel mandati judicio: (d. §. 111.) vel ex secundo capite legis Aquiliae si in ejus fraudem adstipulator pecuniam accepisset. GAJUS Libr. III. §. 215.

Sed nos ex deversorio, quod jam satis diu nos tenuit, ad reliquum iter conficiendum pergamus, et sequentia videamus in Ciceronis disputatione.

Ad partem Secundam.

Ostenderat in prima parte confirmationis Cicero Naevium, ut bona Quintii possideret, non potuisse postulare; in hac parte ulterius progreditur, atque docet bona Quintii ex Edicto omnino non possideri potuisse. In priore igitur parte quaerendum erat *quibus* Edictum daretur; in hac quaestio est *in quos* daretur. Atque hoc cum maxime ad causam pertineat, ea universa ratio, quam secuti sunt Praetores Romani, ut creditores detrimentum non caperent, ex mora debitorum, qui copiam sui in jure non facerent, hic ut potero explicabo.

In Edicto nimirum, quod jurisdictionis causa quotannis proponebatur, duobus locis Praetores auxilium hac in re creditoribus promittere solebant, ut in mora debitorum securi, in fraude indemnes essent. Alterum remedium pollicebantur lenius et remissius, alterum in gravioribus causis acrius et vehementius. Primum, ut Edicto perpetuo receptum fuit legimus in *L.* 2. ff. *Quibus ex caus. poss. eat.* Nimirum si quis in judicio sistendi causa, cautionem

nem praestiterit, et fidejussorem dederit, nec tamen sistat, sed potestatem sui non faciat, sive latitare coeperit sine fraude et justa causa v. g. propter justum metum (3), sive simpliciter abesse, ut sine dolo reipublicae causa (4), vel quod captus sit ab hostibus (5); nemo autem sit qui in jure defendat: hac igitur in causa Praetor ait se jussurum sive decretum daturum, ut *eatur in* ejus *bona*. *Mittitur* petitor, ut sine cura esse possit absentiam illam in suam fraudem non futuram, *in possessionem* bonorum absentis: non ut *possideat*, (6) pari jure atque ille qui κἀτ' ἀκριβεῖαν in jure dicitur possessor, qui usucapere potest et utitur interdictis (7); sed ut *sit in possessione* rei servandae (8) causa, ut custodis atque observatoris munere fungatur: atque hos sensu *possidere* tantum dicitur quatenus illud verbum latine loquentibus habet vim occupandi, inmittendi se in rem (9). Ut acerbe a PAULO in leg. 3. §. 23. *de acq. vel am.*

(3) *L.* 7. §. 4. junct. l. 2. §. 1. ff. *Quibus ex caus. in poss. eat.*

(4) L. 6. §. 1. eod.

(5) L. 6. §. 2. eod. Cf. Cujacius Obs. Lib. X. c. 31.

(6) Cujacius ad leg. 3. §. 23. *De acq. vel am. poss.*

(7) L. 3. §. 8. ff. *Uti poss.*

(8) L. 10. ff. *De acq. vel am. poss.*

(9) Hoc sensu in or. pro Cornelio Balbo cap. 3. dicitur Cornelius Balbus, „ Carthaginem possessum isse." Ita recte legitur in ed. Ern. Sic in Agrar. I. Cap. 2. dicitur de agris eximia Scipionum virtute apud Carthaginem possessis. Cf. or. pr. Murena cap. 16. Philipp. II. cap. 37. in fin. Ita *possessor* pro eo qui injuria invadit dicitur apud Virgilium Ecl. IX. v. 3.

am. poss. reprehensus sit Q. MUCIUS, (10) qui inter genera possessionum posuerat, si quis jussu magistratus rei servandae causa, vel quod damni infecti non caveretur, in possessionem missus esset. Etiam hoc, qualis illa creditoris possessio sit, declarat, quod cum eo, cui damni infecti non cautum est, a JCtis conjungitur: qui tantum abest ut possideat ex primo Praetoris decreto in possessionem missus, ut, cum longo tempore ita in possessione fuerit, tum demum secundum decretum a Praetore obtineat, quo revera possidere jubeatur ut usucapere possit. Cf. L. 3. §. 23. *cit.* Hac igitur quam diximus causa Praetor creditorem ita in possessionem bonorum absentis et non defensi mittebat. Neque praeterea quidquam in absentem constituebatur, sed exspectabatur, dum quid gravius decretum in eum obtineri posset.

In alia Edicti parte Praetor aliud remedium creditoribus daturum edixerat; hisce nimirum in causis, in quibus res in creditorum fraudem spectare videretur. Verba Praetoris in Edicto perpetuo recepta leguntur in L. 7. §. 1. ff. *Quibus ex caus. in poss. cat.* In eum nimirum, quem latitare certum est in fraudationem creditorum, etiam decretum se daturum ibi pollicetur: sed tale, quo creditor in quem latitetur, *jubetur possidere*, et vendendi acquirit potestatem. Dies nimirum XXX. erat exspectandum: cum tantum temporis bona possessa es-

(10) Qui error Q. Mucii non videtur latuisse Pomponium ad eum scribentem. Cf. L. 12. ff. *Quibus ex caus. in p. cat.*

essent proscribi poterant. Cf. CICERO in h. or. cap. 8. GAJUS ib. III. §. 77. seqq. Sed de effectu istius jussi, et quomodo creditor, qui obtinuerat, in bonis possessis versari deberet, infra latius dicemus: nunc Ciceronis disputationem pedetentim sequentibus primum nobis dicendum est de causis, in quibus bona possideri vendique judebantur.

Prima causa, quam in *cap.* 19. *init. h. or.* ex Edicto Praetoris recitat Cicero, quam et in Edicto perpetuo memoratam videmus in leg. 7. cit. haec erat, si quis fraudationis causa latitaret. Fraudationis causa latitare dicebatur is, ut ex §§. *Seqq. d. l.* intelligimus, qui quoquo modo se occultabat, sive in urbe maneret, sive excederet, ut occursum creditoris in jure evitaret, hac mente, ut in fraudem creditoris illud esset: atque de animo fraudandi ut constaret requirebatur, plane ut in causa eorum, qui servos in fraudem creditorum manumiserant. Conf. §. 3. I. *Quibus ex causis man. n. l.* Alteram causam ex Edicto recitat Cicero, si cui haeres non exstaret. Nimirum si quis non solvendo mortuus esset, et nemo ejus haereditatem adiret, creditores ejus bona possidere atque vendere poterant. Atque hinc est, quod tales homines, ne suo nomine bona post mortem venderentur, servum haeredem necessarium instituere possent, ut notum est ex §. 1. I. *Quib. ex c. m. non l.* Conf. de mortui bonorum venditione Gajus *lib.* IV. §. 68. Atque hoc caput etiam eodem fere loco in edicto perpetuo fuisse, intelligitur ex Legg. 8. et 9. ff. *Quib. ex caus. in poss. eatur.* ubi haec ponitur quaestio, quid agendum sit cum in-

certum sit, haeresne exstiturus sit nec ne. Tertia causa apud Ciceronem in Edicto memorata haec est, si quis exsilii causa solum verterit. Solum vertere dicebantur, qui locum sedemque mutabant, ut dicitur in *or. pro Caec. cap.* 34. ut in aliam civitatem concederent, cum in sua civitate vivere amplius non possent. Nam poenam exsilii, qualis apud alias gentes fuit, Romani ignoraverunt; qua de re classicus est locus in *Or. pro Caec. l. l.* Cum igitur talis abitus in fraudem creditorum esset, ut suum consequerentur, Praetor decretum dabat, de quo nunc agimus. PAPINIANUS in leg. 13. tit. cit. exsilio temporario puniti bona, (graviore enim poena affecti bona sub Imperatoribus publicabantur plerumque), si non defenderetur, venire dicit: cum autem hoc responsum in hoc titulo inveniatur, credibile est Digestorum auctores, qui Edicti perpetui seriem in compilando secuti sunt, hoc loco idem fere caput, quod apud Ciceronem legimus, invenisse. Dicitur in lege 4. ff. *si quis caut. in jud. sist. non obtemp.* „ qui morte exsiliove coerci„ tus est, si judici (judicio) sistere se non po„ tuit, merito huic ignoscitur." Sed cogitandum hic agi de eo, quod in stipulatione (11) poenae nomine promissum erat, si reus judicio non stitisset, id non solvi oportere, si in exsilium inopinato abire jussus esset reus, eamque causam prodesse fidejussoribus.

Cum igitur Naevius decretum illud postulasset, quo

(11) Exemplum stipulationis ejusmodi est in L. ult. §. 4. ff. *de eo per quem factum est* etc.

quo bona Quintii possidere atque vendere juberetur, neque dici posset Quintio haeredem non exstare, cujus liberi haud semel in hac oratione memorantur, neque etiam a Naevio exsilii causa solum vertisse diceretur (Cf. Cap. 28. h. or. §. 86.), restabat, si justa esset Naevii possessio, eum fraudationis causa latitasse. Ex hac igitur causa cum Naevius edictum postulasset, quod in suam fraudem Quintius latitaret, Cicero sine dubio etiam in hoc eum defendit, abitum istum in Galliam non fuisse hominis, qui in fraudem creditorum latitaret. Sed hujus defensionis, ut nunc orationem pro Quintio habemus, nullum verbum apud Ciceronem reperitur: ut mihi nullum dubium supersit, quin multa in Cap. 19. ante verba „ Quo tempore existimas" interciderint. Haec enim ad verba, quae in Edicto sequebantur, *si non defendetur*, jam pertinent. Rationes, quibus in hac deperdita defensionis parte usus sit Cicero, non ita latent, ut quales fuerint non possimus suspicari. Praeparatas illas quasi videmus in Cap. 6. Cupiebat nimirum Quintius rem Gallicanam revisere: habebat igitur justam causam proficiscendi; ad negotium suum profectus est, ut dicitur in Cap, 19. Vadimoniis cum caeteris quae habebat dilatis, omnibus rebus expeditus profectus est, non solus, sed cum honestissimo homine L. Albio, non clam sed palam, prosequentibus amicis: (cf. cap. 18.) Hic etiam inprimis attinebat ostendere Quintium relicto Procuratore abiisse: id enim quam maxime alienum erat ab animo fraudationis causa latitantis Procuratorem relinquere: at per totam orationem dicitur de Quintii procuratore: reve-

vera cum procuratorem reliquisse numquam (id autem maxime oportebat,) vel argumentis vel rationibus ex caeteris dictis factisve Sex. Alpheni petitis vel deductis confirmatur. Haec et similia multum causae dictioni intererat explicari: nam si per se spectatum Quintii factum (abitus ille in rem Gallicanam), non poterat qualicumque tandem modo fraudationis causa latitatio videri vel appellari; etiam hac ratione nulla erat Naevii possessio: si quis enim bona alicujus quasi latitantis possideret qui non latitaret, quidquid in his bonis agebatur, nullius erat momenti. L. 7. §. 3. ff. *Quibus ex caus. in p. eat.*

Sed in Edicto etiam haec verba legebantur, ut in leg. 7. §. 1. cit. etiam vidimus: SI BONI VIRI ARBITRATU NON DEFENDETUR. Ut, si quis vel maxime fraudationis causa latitaret, defenderetur tamen in judicio ab aliquo, qui sua sponte ejus causam susciperet, bona amplius possideri non possent, nec venditio procederet. Reliquum igitur erat Ciceroni, ostendere, ut ipse ait in Cap. 28. Quintium ab Alpheno copiosissime in judicio defensum esse, ut hoc appareret, nullum omnino esse verbum in Edicto quod ad Quintium pertineret. Sed non erat haec facillima pars orationis, atque acerrime contra contendebat Naevius Quintium a procuratore, modo fuisset procurator, in judicio defensum non esse. Quod si verum fiebat, nihil proderat Quintio procuratorem reliquisse. Quorum enim negotia negligunt procuratores nec defendunt, cum justa causa sit ex Edicto possidendi, eorum bona recte venduntur. Intelligitur hinc venusta illa ironia Ciceronis in Philipp. XI. Cap. 6. ubi

ubi Apuli Domitii cujusdam, perditi atque dissoluti hominis, bona proscripta dicens haec addit: „ tanta est procuratorum negligentia!"

Primum, quod Naevius dicebat, ut Quintius judicio non defensus videretur hoc erat: eum sero defensum esse; non cum ejus bona ex Edicto possidere postularet, sed bonis jam proscriptis: ex quo intelligi posset, Alphenum procuratorem non fuisse: procurator enim statim dominum apud Praetorem defendisset. Et verum quidem est, defendi debitorem posse etiam post bonorum possessionem. Cf. *L.* 33. § 1. *ff. De reb. auct. jud. poss.* bonis jam proscriptis reum defendi posse nusquam legitur. At respondit Cicero, primo neminem affuisse, cum postularet Naevius, nec quemquam suspicari potuisse, eum bona quasi latitantis ut possideret postulaturum illius, qui ad suum negotium relicto procuratore profectus esset. Deinde, propter id ipsum quod nulla species latitationis in Quintio esset, inutile fuisse et putidum procuratorem multis verbis apud Praetorem contendere contra hominem amentem atque ipso jure nulla petentem. Neque enim quemquam attinuisse recusare, quin jussum Praetoris quod vellet Naevius obtineret, atque eo beatus esset; non enim ex sua auctoritate Praetorem jussisse bona P. Quintii a Sex. Naevio possideri: nam contra injuriam Praetoris oportuisset reclamare; sed Naevium jussisse bona Quintii sui debitoris ex Edicto suo possidere, i. e. secundum id, quod in Edicto de debitoribus latitantibus scriptum esset; cum igitur nullum verbum Edicti ad Quintium pertineret, nihili fuisse illud jussum, perinde ac si alicujus servos jus-

sisset possideri, cui constaret nullos umquam servos fuisse. Ita intelligenda videntur vexata atque a multis interpolata verba Ciceronis in cap. 19. „ Neque quemquam attinebat id recusare, quod Prae- „ tor non fieri, sed ex Edicto suo fieri jubebat." Cf. CUJACIUS *Obs. lib.* X. *cap.* 31. *in fin.* Cum igitur, ita pergit Cicero, bona proscribebantur, tum fuit procuratoris officium injuriam domino intentatam repulsare, atque curare, ne quis ejus bona attingeret. Itaque fecit Alphenus, libellos proscriptionis palam affixos dejecit, servulum Quintii Naevio, cum attingere vellet, eripuit, ipsumque, cum quid sibi deberi dixisset, secutus est in jus, judiciumque accepit quod voluit.

Sed in hoc ipso judicio magna orta est contentio Naevium inter et Alphenum, Naevio ut sibi judicatum solvi (1) satisdaretur postulante. Atque id erat *secundum*, quo Naevius utebatur argumento, ut probaret Quintium judicio defensum non esse; eum nimirum, qui Quintii procurator haberi voluisset, judicatum solvi noluisse satisdare.

De satisdatione illa difficile est dicere, tum quod, quam praecipue ob causam, et qua ratione conceptam Naevius postulaverit, ignoramus: tum quod ratio, qua nixus Alphenus satisdare recusaverit, non satis diserte dicitur. Cicero in hac parte orationis brevis est, ut paucis verbis locum perstringat, et fere quod tractatum nitescere posse desperaret, re-

(1) Judicatum solvi satisdabatur, ut adversarius securus esse posset rem post judicium paratam fore. Cf. Cujacius Obs. Lib. X. Cap. 28. Gajus Lib. IV. §. 90. et 101.

reliquisse videatur; quod ipse praecepit (in lib. II. de Orat. *Cap.* 72.) malum vitiumque causae bono ornando atque augendo obruendum esse. At, in obscura in primis re, nihil ejusmodi auserim affirmare: praesertim cum ratio, qua in *Cap.* 7. §. 29. usus dicitur Alphenus, non improbabiliter explicari posse videatur. Aiebat nimirum Alphenus, „ non aequum esse procuratorem satisdare, quod „ reus satisdare non deberet, si ipse adesset." Quod sic videtur intelligendum: defensores quidem, sive, ut tunc loquebantur, procuratores voluntarios, qui sua sponte absentis defensionem susciperent, satisdare debere (2): cognitorem, ad certam rem suscipiendam a reo datum, non accipi sine domini satisdatione (3), etiam procuratorem, quem vulgo dicerent, ad certam rem defendendam a reo absente constitutum recte satisdare (4): at verum Procuratorem, et legitime ita dictum omnium rerum illius, qui in Italia non esset, quasi alterum quemdam

(2) Cf. *L.* 5. §. 3. *ff. Quibus ex caus. in p. eat.* Defensio plena dicitur, si judicium non detrectatur, et judicatum solvi satisdatur: *L.* 21. §. 3. *ff. Ex quibus caus. maj.* Hinc illud tritissimum: *nemo alienae litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur:* apud Gajum *Lib.* IV. §. 101. et in *L.* 46. §. 2. *ff. De procurat.* hinc receptum in Inst. §. 1. *De satisd.* et a Justiniano, cum multa in satisdationum ratione mutata essent, servatum §. 5. *ibid.*

(3) Gajus Lib. IV. §. 101. postea cognitorem communi procuratoris nomine significarunt. Vid. *L.* 8. §. 3. *ff. De procurat. L.* 10. *ff. Judic. solvi.*

(4) Gajus ibid. *L.* 10. *cit. in fin.* sed JCti non distinguunt.

dam dominum, et alieni juris vicarium (5) non magis satisdare debere quam ipsum, si adesset, dominum. Quodsi, domino in judicio in personam reo facto, procurator omnium rerum actori postulanti judicatum solvi satisdedisset, quod ab ipsis reis fieret, cum pro suspectis haberentur, (6) ipsum dominum satisdedisse, ipsum, suam personam in judicio suspectam esse, confessum esse videri. Non enim talem procuratorem defendere dominum, sed ipsius domini personam in jure sustinere. Haec mihi Alpheni defensio fuisse videtur, quae num probabilis fuerit hac Jurisprudentiae Romanae aetate, temere affirmemus. Tum vero sine dubio recte satisdare recusavit Alphenus, si, quae est HOTOMANNI conjectura ad *Cap.* 7. h. or. Naevius postulavit, ut, non ex sua persona Alphenus sibi satisdaret, sed ex persona domini, *quod per* XXX *dies ejus bona possessa essent.* Procuratores enim *ipsi* satisdare dicuntur, id est ex sua persona. Cf. *L.* 10. *ff. Judic. solvi.* Id autem videtur posse affirmari, Alphenum idcirco pertinaciter satisdare recusasse, quod existimationem Quintii judicio committere vereretur, ut de procuratoribus Epicratis illius Bidini legimus, de quo est in *Act.* II. *Lib.* II. in Verrem *Cap.* 25. qui defendere cupiebant, recusabant vero, „ne quid novum judicium de existimatione ejus constitueretur."

Ne igitur satisdaret cum a Praetore juberetur, ap-

(5) Est definitio procuratoris legitime ita dicti in orat. pro Caecina, Cap. 20.

(6) Gajus *l. c.* S. 102.

appellavit Alphenus Tribunos Pl. atque in eo *tertium* positum erat adversariorum argumentum, id non esse judicio defendere, morae causa Tribunos appellare. At modo injuria Alphenus satisdare jussus sit, nullus dubito quin recte appellaverit Tribunos. Erat enim magistratus, ut ait CICERO in *Cap.* 20. auxilii causa constitutus, qui principio hoc consilio est institutus, teste LIVIO *Lib.* II. *Cap.* 33. ut essent, quibus auxiliatio adversus Consules esset, ad quem in posterum a caeteris magistratubus, cum sua potestate abuterentur, quasi ad aram, et commune quoddam refugium confugiebatur, non unice cum de republica agebatur, sed maxime in rebus privatis, ut quamcunque quis injuriam passus esset, eam appellati vindicarent. Quod recte in oratione Junii Bruti Tribunos a patribus petentis significavit DIONYSIUS HALIC. *in Antiq. lib.* VI. *Tom.* I. *pag.* 409. *ed. Sylb.* Cf. GELLIUS *Lib.* XIII. *Cap.* 12. in fin. Habebant igitur etiam in integrum restituendi potestatem. Cf. CICERO in Philipp. II. *Cap.* 23. Conversa ad unius dominatum republica, cum Tribunicia potestas ad Augustum esset delata, sensit quam illud, de quo agimus, Tribunorum munus grave esset: urbanorum igitur litigatorum appellationes quottannis Praefecto Urbi delegavit; provincialium consularibus viris, quos singulos cujusque provinciae negotiis praeposuisset. vid. SUETONIUS in Aug. *Cap.* 33. Credibile autem est, illam Tribunorum potestatem, quamvis salutare fuerit sine dubio libidinis Praetorum impedimentum, saepe moras quaerendi causa a litigantibus fuisse appellatam: quodsi fecerit Alphenus, et, cum juste satisdare jubere-

 tur

tur, appellaverit Tribunos ne satisdaret, non magis justa haec defensio videtur, quam illa Vatinii qui ne causam diceret Tribunos appellavit, quod factum ante numquam, et in omni memoria omnino inauditum dixit CICERO in orat. in Vatinium, *Cap.* 14. Sed si contra injuriam Praetoris appellavit, ordine fecit, atque boni procuratoris officio functus videtur. Nec quid facit ad rem, unum tantum Tribunorum dixisse se intercessurum; unius enim intercessio valet etiam contra caeteros collegas: vide exemplum apud GELLIUM *Lib.* VII. *Cap.* 19. qui et verba, quibus ejusmodi intercessiones concipiebantur, ex Annalibus descripta habet.

Ad partem tertiam.

Reliquum est, ut de hac extrema parte videamus, quam ideo fecit Cicero, ut planum esset, si verba sponsionis premere vellet Naevius, et ita dicere: „ possedi tamen bona Quintii, in eo sponsio facta est:" ne hac quidem defensione eum uti posse: facto enim non possedisse, ne conatum quidem esse; quo etiam manifestius fiebat eum ipsum sensisse suam possessionem esse nihili. Considerat igitur Cicero quid faciendum esset cum quis revera *ex Edicto* possideret, tum quid requireretur, ut quis *omnino* possedisse videretur. De effectu igitur Praetoris decreti, qui bona debitoris ex Edicto possidere juberet, primum videamus.

Praecipua igitur hujus decreti ea erat vis, ut, cum per XXX dies possessum esset, vendendi potestas acquireretur. Cujus juris origo, ut videtur, a

a XII Tabulis est repetenda, quibus constitutum erat, si quis non solvendo creditori addictus esset, ut trinis nundinis continuis in Comitium ad Praetorem produceretur, tertiis autem nundinis, si nemo pro eo solveret, gravius quid pateretur. Cf. GELLIUS, lib. XX. cap. 1. Vidimus supra bonorum vendendorum institutum, et illud XXX dierum spatium, quod extremum debitoribus tempus concedebatur, quo defendi possent, idem Ciceronis atque Gaji tempore fuisse; JUSTINIANUS vero, in lib. III. Inst. Tit. XIII, docet haec cum judiciis ordinariis in desuetudinem abiisse: ut jam receptum sit, cum creditores bona debitorum possideant, disponant ea prout utile eis visum. Rationem hujus mutationis; quam non assequebatur VINNIUS ad Inst. l. l. verbo videtur explicare THEOPHILUS ad d. l. „ judicia ordinaria, „ ait, solo conventus tempore habebantur." Cum igitus his vigentibus certo tantum anni tempore judicia exercerentur, (Cf. id. THEOPHILUS ad Lib. 1. I. Tit. VI.) periculum erat, nisi res continuo peragere-tur, ne fraude debitorum creditores per satis longum tempus suum persequi non possent. Sed quid inter illos XXX dies fieret, videamus. Quam primum autem unus creditorum possidere jussus esset, (e multis enim creditoribus saepe (7) unum tantum fuisse, qui postulare posset, supra vidimus), caeteri etiam mis-

(7) Eum scil. adversus quem latitabatur: §. 7. *leg.* 7. *ff. quib. ex caus. in poss. eat.* male vulgo interpungitur; sic videtur constituenda. „ Et quidem verum est, cum latitare, — etsi non adversus me latitet; sed illud tractandum „ Pomponius putat, an adversus me: cumque solum" etc.

missi intelligebantur. Vid. *L.* 12. *ff. De reb. auct. jud. poss.* et dabatur in eum actio de eo, quod ex debitoris bonis ad eum pervenisset. Oportebat igitur creditores convenire, et unum eligere, qui totum negotium gereret, et curaret ne rationes corrumperentur. Is olim dicebatur *magister*, et, cum XXX dies praeterierant, creabatur jussu praetoris, atque per eum bona venibant. Cf. GAJUS, *lib.* III. § 78. *L.* 14. *ff. pr. De reb. auct. jud. poss.* THEOPHILUS l. c. CICERO in Cap. 15. h. or. Horum igitur nihil factum erat, cum Naevius ex Edicto possidere jussus erat. Bona non erant vendita; sed hoc cum conatus esset Naevius, impeditus vero in eo esset ab Alpheno, Cicero reliquit illud argumentum. Hujus vero argumenti, quod in Cap. 23. maxime urget, nempe creditores sponsoresque Quintii numquam convenisse jam intelligitur quae sit vis. Cum bona possessa dicta essent, rem in ejusmodi negotio adeo necessariam, adeo solennem, ut cujus creditores saepius convenirent, de ejus bonorum instante venditione fama jam exiret (Cf. CICERO in Philipp. VI. cap 4.), eam igitur neglectam, vel potius plane omissam esse, cum tamen multi Quintii essent creditores, magnum erat indicium, neminem illam possessionem veram atque justam habuisse.

Sed ex iis, quae ipse fecerat Naevius, non minus quam ex iis, quae facta non erant, Cicero ostendit eum ex Edicto non possedisse Retulit huc illud Naevii factum, quod, cum bona Sex. Alpheni emisset, socium sibi edidisset Quintium. Quis autem umquam socium sibi edidit, cujus bona ex Edicto possidebat? Cujus argumenti cum per se satis intel-

telligatur efficacitas, ut ad hunc locum aliquid ad notemus non est necesse. Licet properare ad disputationem de eo Naevii facto, in quo maxime ejus audacia apparuit, quod Cicero ita exagitavit, ut victoriae spem in hoc maxime loco posuisse videatur. Argumentum autem est hujusmodi.

Naevius V. ante Kal. Interc. postulaverat, ut bona Quintii possidere liceret: pridie Kal. Interc. Quintius de saltu communi, qui erat in Gallia, dejectus est jussu Naevii. Hoc exiguo tempore misisse Naevium, qui servos suos Quintium dejicere juberent, dictu ridiculum est. Roma in saltum Gallicanum DCC millia passuum sunt, quod est iter, si vicena millia passuum (9) singulis diebus conficiamus, XXXV dierum. Misit igitur Naevius ante quam postularet, quod est audacia incredibile, certissimum vis atque latrocinii signum. At dejecit Quintium de saltu biduo post quam a Praetore ex Edicto possidere jussus esset, (10) atque eo commisit, ut numquam bona Quintii possedisse ex Edicto videri posset. Praetor enim jubet in Edicto, eum, qui suo jussu possederit, ita possidere, ut dominum de possessione non detrudat: jussit Naevium possidere *ex Edicto;* Naevius contra Edictum fecit, dejecit enim dominum: non igitur ex Edicto possedit; spon-

(9) Totidem passus hominem sine molestia die posse ambulare existimavit Praetor. Cf. *L.* 1. *ff. si quis caut. in jud. sist. non obtemp.*

(10) Si enim jussit ipse dejecit: ut dicitur in *L.* 1. §. 15. *ff. de vi et vi arm.*

sponsio facta est; si ex edicto bona possessa non sint: igitur victa est.

Fateor me diu in opinione versatum esse, Ciceronem in hac argumentatione duas diversas res commiscuisse, verbaque Praetoris, quae in cap. 27. ex Edicto recitat, non ad eum, qui possidere jussus est ut intra XXX dies vendat, sed potius ad eum, qui rei servanda causa in possessionem mittitur, pertinere. Sed paulatim minus placuit illa sententia; quibus autem rationibus mihi persuaserim Ciceronis argumentationem rectam esse dicam.

Ego vero primum animum numquam inducere potui, ut sine dubitatione crederem, Ciceronem adeo fuisse juris ignorantem, ut res tam diversas, quam sunt illa duo Praetoris decreta, confunderet, vel adeo stultum, ut in tanta re se verba dare posse C. Aquilio arbitraretur. Postea autem intellexi adeo diversa illa decreta fuisse, ut quod de uno edixerit Praetor, ad alterum trahi nullo modo potuerit. Nam cum in causis maxime diversis darentur, ut supra explicuimus, etiam in alio plane Edicti loco de uno decreto, in alio eoque maxime a superiore remoto de altero, quod daturum esset, edixerat Praetor. Illud quo servandae rei causa in custodiam mittebatur promiserat ubi de cautionibus in judicio sistendi causa praestitis agebatur, i. e. fere initio. Illud quo possidere jubebat, ut intra legitimum tempus venditio institui posset, cum de effectu rei judicatae jam actum esset in Edicto pollicebatur. Intelligitur hoc ex inscriptione fragmentorum ULPIANI in Tit. *ff. Quibus ex causis in poss. eat.* Locus ex Edicto, qui ad missionem perti-

tinet in res eorum, qui sine fraude latitant, est ex libro 5. Ulpiani ad Edictum, quo loco de cautionibus in judicio praestandis actum esse in Edicto intelligitur ex inscriptione legis 2. *ff. Qui satisd. cog.* Locus Edicti vero, qui de fraudationis causa latitantibus agit, refertur ab eodem Ulpiano in libro 59. ad Edictum. Non potuit igitur quod Praetor de eo, qui in custodiam missus esset, edixerat et unice intelligi voluerat, retrahi ad aliam Edicti partem et sententia et loco diversissimam. Sed ipsa illa verba, quae ex Edicto recitat Cicero, quibus Praetorem ait Naevio interdixisse, ne dominum de bonis possessis dejiceret, non sunt ita concepta, ut ad eum qui possidere per XXX dies jussus esset, pertinere non potuerint. Sunt autem haec: QUI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT, (in possessionem *venire* ex utroque decreto dicitur; hinc titulus, in quo de utraque causa agitur, inscribitur; „ quibus ex causis in „ possessionem *eatur*.") EOS ITA VIDETUR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE (ita versari debent in rebus, in quarum possessionem venerunt.) QUOD IBIDEM RECTE CUSTODIRE POTERUNT, ID IBIDEM CUSTODIANT etc. Quid? an haec verba etiam pertinere potuerunt ad creditorem, qui intra XXX dies proscribendi eadem bona acquiret potestatem? Potuerunt ut opinor. Est in his verbis, ni fallor, etiam conspicuum documentum humanitatis juris Praetorii. Nimirum, XXX illi dies, per quos possidere debet creditor, ante quam venditio procedat, sunt quasi ultimum spatium, quod conceditur debitori, intra quod ejus defensio accipitur, ut supra lege 33. §. 1. *ff. De reb. auct. jud. poss.* pro-

 ba-

bavimus. Quod tempore Ciceronis etiam ita receptum fuisse, intelligitur ex his verbis in Cap. 26. §. 82. „ Postulaturus eras. (venditionem nimirum) „ Quando? Post dies XXX. Praetor jussisset. Opi„ nor si vellet, si valeret, si jus diceret, si nemo „ recusaret, qui ex ipsius decreto et satisdare et „ judicium accipere vellet." Noluerunt igitur Praetores, quamdiu incertum esset num forte debitor defenderetur, diripi ejus bona a creditoribus, sed legem praescripserunt iis, ut modeste in bonis versarentur, de quorum possessione brevi forte, oblata a defensore satisdatione, iis decedendum esset. Additur denique in eo Edicti loco, quem recitat Cicero: „ DOMINUM INVITUM DETRUDERE NON PLA„ CET." Dicat aliquis: at is, cui damni infecti non cavetur, cum secundo decreto jussus est possidere, dominum dejicere jubetur. Vid. *L.* 15. §. 23. *ff. De damn. inf.* Sed verum quidem est creditorem, in cujus fraudem latitatur, et eum cui damni infecti non cavetur, cum secundum decretum obtinet, ambos juberi possideri: non vero eadem conditione. Hic ita jubetur, ut usucapiat (11); usucapioni autem contrarium est, eum contra quem usucapitur simul possidere: ille, ut intra legitimum tempus vendat. Hic cum possidere jussus est, cautionis oblationi amplius locus non est. Vid. *L.* 15. §. 33. *ff. De damn. inf* ille, ut vidimus, cum nondum proscripsit, defensionem cum satisdatione, quamvis possidere jussus sit, admittere debet. Nulla igitur est cau-

(11) *L.* 3. §. 23. *ff. De acq. vel am. poss.*

causa, ob quam non etiam haec verba, in ea, de qua quaerimus causa, in Edicto dici potuisse videntur.

His igitur animadversis, minus videtur indulgendum suspicioni quam diximus: et vere potius ex Edicto contra adversarios Ciceronem disputasse statuendum.

Restat ut dicamus de ea orationis parte, in qua, caeteris remotis et unice ex possessionis notione in se spectata docuit Cicero Naevium non possedisse. Hic, ipsa materia deficiente, breves esse cogimur; haec enim orationis pars tota periit. Quomodo autem, cum Cicero in Cap. 28. seq. diligenter capita disputationis ipse enumeraverit, multis ita perire potuerit, ut ne requirerent quidem, et ingentem hiatum post finem capitis 27. adeo non viderent, ut paucis verbis interjectis obliterari posse existimarent, id me non intelligere confiteor. Diserte Cicero in Cap. 29. in illa enumeratione, postquam dixerit se docuisse, Naevium ex Edicto non possedisse, deperditam orationis partem ita significavit. „ Omnino bona possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur non in „ aliqua parte, sed in universis quae teneri et possideri possint."

Cum igitur, quamvis nesciamus quibus verbis hanc partem explicaverit Cicero, universam tamen loci sententiam teneamus, ad hanc etiam paucis licet disputare. Adsentiuntur autem JCti Ciceroni docenti, bonorum possessionem non in aliqua parte spectari, sed in universis. Etenim, qui ab eo qui in possessionem missus erat, bona emebat, acquirebat ea „ per universitatem successione" ut dicitur in Inst. lib.

III. Tit. XIII. fiebat bonorum emtor quasi herés: at, ut quis hereditatem, id est jus universum, in aliquem transferre posset, necesse erat eum universa possidere. Atque etiam qui servandi causa mittebantur, bonorum universorum nomine mittebantur: *L.* 1. *Quibus ex caus. in poss. eat.* praeterquam si damni infecti non caveretur, tum enim missio fiebat nomine ejus rei tantum, quae damnum illatura videbatur; atque sic tamen, ut non pro portione mitteretur cui cautum non esset, sed in totam rem. *L.* 15. § 18. *De damn. inf.*

Quodsi, ut quis alicujus bona possedisse videatur, necesse sit eum universa possedisse, quid dicendum, si quis impeditus sit possidere, vel vi prohibitus; an irrita fiet missio? Minime: si enim nihil fuit, quod possideretur, (nihil autem fuisse censetur, cum praedium v. g. inundatum fuerit, aut propter latronum potentiam,) aut quod non sine controversia possideatur, creditor, qui in possessionem missus est, possedisse existimatur *L.* 12. § 2. *ff. De reb. auct. jud. poss.* Parum igitur hoc argumentum profuisset Ciceroni, nisi antea docuisset, missionem illam per se fuisse nullam, atque ut vim recte repulsam. At eo major fuit hujus argumentationis efficacitas, quod (ut ex cap. 29. intelligimus) ostendere potuerit, Naevium unum tantum servulum ex bonis Quintii attigisse, caetera ne conatum quidem esse attingere, nec de alio praedio dejecisse, quam de saltu communi Gallicano, in quo tamen servi Quintii privati manserant: igitur ne de hoc quidem praedio potest Quintius dejectus videri: quod enim servus tenet, dominus videtur possidere.

§.

§. 22. *L.* 1. *De vi et vi arm.* et ideo VIVIANUS JCtus censuit; „ si quis me vi dejecerit, meos non dejecerit, interdicto de vi experiri me non posse, quia possessionem retineo per eos, qui dejecti non sunt: nisi tamen iis imperare coeperit atque eos ipsos possidere: " § 45. 46. *d. l.* 1. cujus cum sententia conferri meretur sententia CICERONIS in orat. pro Caecina cap. 13.

Sic tota disputatione explicata, si brevissime ejus capita complecti velimus, egregie cohaerens oratio, in qua nihil quod ad causam pertineat praetermissum est, apparebit. Cum enim haec esset adversarii intentio „ Bona Quintii debitoris mei, per XXX dies „ ex Edicto possedi." Ostensum est I. Quintium non debuisse. II. In fraudem adversarii non latitasse. III. Non latitasse. IV. Non judicio indefensum fuisse. V. Ex Edicto ejus bona possessa non esse. VI. Possessa non esse. Potiore igitur laboris parte, quae in explicandis Ciceronis rationibus cernebatur, exantlata, adjiciamus ea, quae ad singularia quaedam ejus orationis loca collegimus, ut nisi absolutum hoc opusculum, certe ad finem perductum videatur.

PARS

PARS TERTIA.

QUA CONTINETUR ANNOTATIO AD LOCA QUAEDAM ORATIONIS ILLUSTRIORA.

AD

CAPUT I.

„ M. Junius, qui hanc causam C. Aquilli ali-
„ quoties apud te egit."

Non hic videtur cogitari posse de M. Junio illo, qui scripsit librum de Potestatibus ad patrem T. Pomponii Attici, citatum Ulpiano in titulo Pandectarum *De off. Quaest.* et cujus mentio exstat apud Ciceronem de Leg. *Lib.* III. *in fin.* cujus fragmentum etiam legitur, sed ex alio ut videtur opere desumtum apud Plinium (Hist. Nat. *Lib.* XXXIII. *Cap.* 2.) Fuit enim hic, teste eodem Plinio, ab amicitia C. Gracchi Gracchanus appellatus: ut eum seniorem tempore hujus orationis fuisse oporteat, quam ut legationis munere, quod juvenum nobilium magis erat, fungeretur. Minore igitur cum incommo-

modo statuemus eum M. Junium Quintii patronum fuisse, cujus nomen legitur in orat. pro Cluent. *Cap.* 45. ut non multum ante Ciceronem Praetorem fuisse appareat.

CAPUT II.

„Qui caput alterius, famam, fortunasque de„fendam."

Ciceronem in hac oratione caput et existimationem hominis verbis commiscuisse, cum ad universum exordium scriberemus, monuimus. Ne tamen quis credat eum dissimillimas res pro iisdem habuisse, retulisse sufficiat locum ex or. pro Rosc. Com. cap. 6. ubi de judiciis vere famosis agens ea his significat verbis: „judicia summae existi„mationis, *ac paene dicam* capitis." Sed cum latine loquendi usus hoc Ciceroni concedisset, ut capitis appellationem ad existimationem traheret, hoc verbo quasi reperto, causam revera privatam verbis capitalem efficere ita concupivit, ut per totam orationem pro reo capitis dicere videatur. Ita Hortensii et caeterorum Naevii ex optimatibus patronorum ingenia, quae antea in salute atque auxilio ferendo versarentur, in perniciem converti dicuntur in cap. 9. Et in ipso loco, in quo versamur, dicitur Hortensius *accusatoris* partes obtinere: *accusatoris* autem et *actoris* nomina (cf. Div. in Caec. cap 1.) sunt publicorum judiciorum: apud Ciceronemis, quem vulgo *actorem* vocant, *petitor* dicitur. Cf. or. pro

 Rosc.

Rosc. Com. cap. 14. hinc est illud in cap. 14. h. or. „ Possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere? " Cum vero civitatis amissionem cum morte compararent Latini, gravioribus etiam in hac oratione tragoediis Cicero usus est, et perinde locutus est ac si illa, quam a natura acceperat Quintius, vita in hac causa periclitaretur. Qualia sunt illa in cap. 11. „ Non pecuniam modo, verum etiam sanguinem vitamque eripere conari, " in cap. 12. „ interficere nefarie cupere, " in cap. 13. „ pugnare ne numeretur inter vivos: " in cap. 23. „ non modo honeste partis bonis, verum etiam communi luce privare. " In ipso cap. 2. dicitur de iis, „ quorum in alterius manu (nimirum judicis) *vita* posita est, " quibus Quintius adjungitur; sed ibi magis in universum videntur intelligendae omnes fortunae et spes reliquae vitae, ut dicitur in cap. 31. Quo sensu saepius *vita* apud Comicos dicitur, ut apud Terentium, Andr. I. 3. 5. Heaut. II. 2. 74. Uti autem *vitam* statum in civitate dixerunt, ita Latini *sanguinem* opes appellarunt, et omnia ea, quibus locum, quem in civitatem obtinemus, honeste tuemur. Exemplum est in loco quem supra apposuimus. Cf. Cicero in Agr. II. cap. 18. pro Cluent cap. 70 et 6. ubi nefaria illa mater, quae filium accusans nullis sumtibus parcebat, ut ipse ex omnibus fortunis exturbaretur, sanguinem suum omnem profundere velle dicitur, dummodo profusum hujus ante videat. Hinc qui bona alicujus proscribebant, civem *jugulare* dicebantur, cf. cap. 16. h. or. Quales loquendi formulae fluxisse videntur

ex

ex lege XII Tabularum, qua, ut ex Gellio lib. XX. cap. 1. est notissimum, creditores debitoris sibi addicti non bona distrahere sed *partes secare* jubebantur: sive revera illud jusserint Decemviri, sive, quod verosimilius est, antiquioris aevi immanitatis verba ad simplicem bonorum venditionem transtulerint. Sed haec longioris sunt disputationis: id verbo potius notemus, tales verborum trajectiones etiam Graecis in usu fuisse. Sic *βίος* de bonis dicitur: ut apud Lysiam de vuln. praem. p. 48. ed. Ster. ubi rei de vulnere consulto illato, cui condemnato patria et bonis cedendum esset, haec sunt verba: *περὶ τῆς πατρίδος μου καὶ τοῦ βίου ὁ ἀγὼν ἐστιν.* Frequens item apud Oratores est verbum *ἀπολέσθαι* de reis qui civitate excidunt: ut apud Lysiam in def. Polystrati p. 192. ed. Ster. Demosth. in Eubulidem *in fin.*

CAPUT III.

„ Neque parum facetus scurra Sex. Naevius, ne-
„ que inhumanus praeco est unquam existimatus."

Praeconis munus, quod erat Naevii, quoniam saepius in hac oratione perstringit Cicero, quale fuerit apud Romanos hic dicendum videtur. Erant inter apparitores magistratuum, et quotannis legebantur e civibus Romanis, ex multis, quae eorum erant, decuriis, ut videri potest in antiqua lege apud Sigonium de Antiq. Jur Civ. Rom. lib. II. cap.

15. Aderant igitur magistratibus in foro, ut illis concionantibus audientiam facerent. Cf. Auct. ad Herenn. lib. IV. cap. 55. Uti regibus apud Homerum praecones adesse videmus, qui *λαοὺς βοόωντες ἐρήτυον, εἴποτ' ἀϋτῆς σχοίατ', ἀκούσειαν δὲ διοτρεφέων βασιλήων*: sed heroicis temporibus etiam legatorum munere fungebantur, et sancti habebantur, et *Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν*, ut dicitur Iliad. H. v. 274. Quod longe secus erat apud Romanos, ut mox videbimus. In comitiis etiam praeconum erat opera tribuum suffragia colligere, et magna voce renuntiare, ut singulis tribubus suus esset praeco. Unde est illud Ciceronis in Agrar. II. cap. 2. Se non „ singulis praeconum vocibus, sed una voce universi „ populi Romani Consulem esse declaratum." Aderant etiam magistratui jus dicenti, et in judiciis publicis: reos citabant testesque voce PRODEANT: ex quo intelligitur facetus locus ex or. pro Flacco cap. 15. qui sic constituendus videtur: „ Citat „ praeco voce maxima legatos Acmonenses: Pro„ cedit unus Asclepiades. *Prodeant?* — Etiamne „ praeconem mentiri coegisti?" Ut *prodeant* dicatur ex persona Ciceronis verbum praeconis captantis, ut adversariorum testium irrideat paucitatem. — Causa perorata DIXISSE pronunciabant. Vid. Act. II. in Verrem lib. II. cap. 30. Etiam in publicis bonorum venditionibus versabantur: quaenam, et cujus bona vendebantur, et qua lege venditionis praedicabant, singulas res vendendas offerebant, et conficiebant pretium. Cf. or. pr. Quintio cap. 15. et Agrar. II. cap. 18. Atque hae sunt illae *horridae praeconis voces*, quas die Dominico audiri nolebant Impp.

Impp. Leo et Anthemius in leg. 11. Cod. *de Feriis.* Hinc *hasta praeconis* pro venditione: ut in Agrar. I. *Cap.* 2. hasta nimirum est venditionis signum. In turba igitur, quae magistratum in provinciam sequebatur, etiam erat praeco: qua de re frequens est testimonium in Verrinis. Vid. v. g. *Lib.* II. *Cap* 13. *Lib.* III. *Cap.* 21. Cf. Agrar. II. *Cap.* 13. Cum igitur nihil in hoc munere esset, quod per se convicio appetendum videretur, is tamen veterum fuit libertatis honestatisque sensus, ut, cum ex voce quaestum praeco sibi compararet, corpus quodammodo venale habere, et haud secus atque histrio inhonestam personam sustinere existimaretur. Saepius igitur Cicero praeconium illum quaestum vel cum contemtu significavit in hac oratione, ut in *Cap.* 3. in *Cap.* 31. (etiam in *Cap.* 18. haec verba „ non „ quid habeam, sed quibus rebus invenerim" ex persona Naevii dicta huc pertinent): vel etiam ubi potuit quasi in transitu commemorando ejus rei memoriam apud judicem renovare studuit: ut in *Cap.* 5. Naevius dixisse dicitur „ non plus sua referre, „ quam si, quum auctionem venderet domini jus- „ su quippiam promisisset", in *Cap.* 6. „ Vident „ perfamiliarem Naevii, qui pueros venales isti „ adducebat." Acerbe etiam, avum praeconem Pisoni objecit Cicero in or. in Pison. *Cap.* 26. Atque eundem etiam hac in re Graeci cum Romanis sensum habuerunt, ut diserte testatur Theophrastus in Char. *Cap.* *περι ἀπονοίας.* — *δεινὸς δὲ,* inquit, *καὶ πανδοχεῦσαι, καὶ πορνοβοσκῆσαι, καὶ τελωνῆσαι, καὶ μηδεμίαν αἰσχρὰν ἐργασίαν ἀποδοκιμάσαι, ἀλλὰ κηρύττειν, μαγειρεύειν, κυβεύειν, κ. τ. λ.*

 Adu-

Adulationis atque levitatis infamiae notam jam iis inusserat Euripides in Oreste v. 858. seqq.

> Τὸ γὰρ γένος τοιοῦτον· ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ
> πηδῶσ' ἀεὶ κήρυκες· ὅδε δ' αὐτοῖς φίλος,
> ὃς ἂν δύνηται πόλεος, ἔν τ' ἀρχαῖσιν ᾖ.

Sed ut personae turpitudo non impediit apud Romanos, quominus aliquando histriones summorum in civitate virorum gratia florerent, ut illustre exemplum in Roscio Comoedo habemus: ita neque in praeconibus tantum valuit, ut ab optimatium familiaritate arceret, quibuscum, ut ex supra disputatis intelligitur, muneris ratione erant conjuncti, quibus et dicacitate quadam, quam quotidie in foro se jactantes facile consequebantur, saepe ita accepti fuerunt, ut ab iis ditati νεοπλουτων insolentia excellerent, et patronorum insanos sumtus imitarentur. Qualis fuit Gallonius, cujus quaestus et sumtus in exitu hujus orationis memorantur, et infamis mensa in Lucilii satyris notata in proverbium abierat: et Granius ille L. Crassi oratoris amicitia nobilitatus Cf. Cic. in Bruto *Cap.* 4-. de Orat. *Lib.* II. *Cap.* 60. cujus multa facete dicta feruntur: (de orat. *Lib.* II, *Cap.* 62, 70) quibus et principes in civitate viros, etiam Crassum est insectatus (orat. pro Cn. Plancio *Cap.* 14.) Ex hoc igitur hominum genere etiam fuit Sex. Naevius, quem L. Marcii Philippi, Q. Hortensii, aliorumque nobilium virorum qui non nominantur gratia in hac oratione pugnantem videmus, cum antea popularium partium principibus gratiosus fuisset: vid. *Cap.* 22. sed his victis, ut qui vicissent amici sibi essent effecit, multorum

in

in eo exemplum imitatus, quorum defectione, ut ait Plutarchus in vita Sertorii, non minus quam inscitia ducum partes Marianae conciderunt. Atque in Syllanis castris hic noster praeco scurra dicax et facetus convivator inprimis acceptus videtur esse debuisse: in castris Imperatoris, quem ita φιλοσκώμμονα fuisse novimus, ut, etiam cum rerum potitus esset, in conviviis jocisque integros dies consumeret, et Roscius Comoedus, Sorex Archimimus et Metrobius ὁ λυσιῳδὸς gratia plurimum apud eum valerent, vid. Plutarch. in vita Syllae pag. 452. A. et 474. E.

„ Tametsi causa postulat, tamen, quia postu-
„ lat, non flagitat, praeteribo."

Hotomannus conjecit *nam etsi*; Gruterus et post eum Graevius verba *tamen quia postulat* omiserunt, sed hoc forte inconsulto. Utrumque certe sine causa. Iisdem fere utitur verbis Cicero in orat. pro Tullio. „ Non quia res postulare non videretur, „ Quid igitur est? Tametsi postulat causa, tamen „ nisi plane cogit," caet. Gruterum suspicor verba *tamen* et sequens *postulat* ejicere voluisse, sed operas quid vellet non assecutos etiam *quia* ejecisse, quo hians oratio facta est. Alterum *postulat* tamen haud scio an elegantius abesset.

CA-

CAPUT IV.

„ Hoc eo per te agebatur, quod propter aera-
„ riam rationem non satis erat in tabulis inspexis-
„ se, quantum deberetur, nisi ad Castoris quaesis-
„ set, quantum solveretur. Decidis statuisque" caet.

Aeris alieni aliquantulum a C. Quintio erat relictum, ut supra dicitur, quibus nominibus pecuniam Romae curari oportebat. Literarum igitur contractui conditio erat adjecta ut Romae solveretur. Sed propter dissimilem in Gallia ac Romae pecuniae rationem, cum varia sint rerum pretia in diversis regionibus etiam pecuniarum, ut dicitur in *leg*. 3. *ff. De eo quod certo loco:* non illud solvendum erat, quod in Gallia in tabulis scriptum erat; sed quantum pecuniae id Romae esset, quaerendum erat ad templum Castoris, ubi erat aerarium: quo facto poterat arbiter ex aequo et bono decidere quantum solveretur. Ad verba *ad Castoris* adscripsit olim interpres *a Quaestoribus:* non male id quidem; sed, quum facilius intelligeretur, ipsorum Ciceronis verborum locum occupavit, et a nonnullis pro genuino habitum est: at quis non videt hoc illius, non illud hujus interpretamentum esse potuisse? Aquilium eum Quaestorem non fuisse, quae fuit opinio P. Manutii ad h. l. satis indicat verbum *decidere* quod de eo dicitur, quod proprium est arbitri. Cum igitur amicus Scapulis esset, ab his arbiter datus est. cf. cap. seq.

CA-

CAPUT V.

„ Appellat ultro Naevium, ut, quoniam suspicaretur aliqua de re fore controversiam, videret, „ ut quam primum et quam minima cum molestia „ tota res transigeretur."

Turpe apud veteres habebatur, cum controversia esset, eam statim in judicium deferre, sed inter propinquos praesertim turpissimum. Vid. Lysias in or. contr. Diagitonem p. 267. ed. Ster. Ut igitur nihil inexpertum relinqueretur, quo res componi posset, appellabant quocum rem sibi fore putabant, ut cum amicis in constitutum locum veniret, quo scilicet et ipsi venirent cum amicis. Frequens mentio est hujus rei apud Oratores Atticos. Vid. Lysias l. c. et in venustissimo fragmento, quod exstat apud Dionysium Halic. in Isaeo p. 106. ed. Sylb. Dicebatur ejusmodi conventus apud Romanos *congressus*, et promissio ita conveniendi *constitutum*. Vid. Orat. pro Coelio cap. 8. et Ern. in clav. Cic. voc. *constitutum*. Ex quo loco intelligitur, etiam de gravioribus injuriis in ejusmodi congressu aliquando esse actum. Uti apud Andocidem (de myster. p. 234. ed. Wechel.) eum qui alium impietatis reum facere parasset, cum facti poeniteret, dixisse legimus *ὡς — ἕτοιμος εἴη — δίκην ἐν τοῖς φίλοις δοῦναι τῶν πεποιημένων*. Qui ita appellatus, qua vellet adversarius conditione, rem transigere non recusabat, is *satisfacere* dicbatur. „ Satisfacere enim di-

cimur ei cujus desiderium implemus", ait L. 1. ff. *Qui satisd. cog.* Hinc translata sunt verba Ciceronis in Orat. pro Murena Cap. 3. „ Huic, (Sul„ picio) judices satisfacere cupio, vosque adhibe„ re arbitros." Si spes erat rem componi posse ab utraque parte ex amicis unus dabatur arbiter, quod in seqq. a Quintio et Naevio factum videmus, apud quos vadimonium promittebatur, ut supra explicuimus.

CAPUT VI.

„ Quod nisi ex Publicio narratum Naevio esset, „ non tam cito res in contentionem venisset. Tum „ Naevius pueros." caet.

Haec verba: *nisi — narratum Naevio esset, non tam cito res in contentionem venisset. Tum Naevius:* sunt recentioris aetatis hominis commentum, a Cicerone profecta non esse, Latinitas ut opinor indicat, nam *ex aliquo, alicui quid narrari*, non dicitur; quod jam observavit Hotomannus ad h. l. In antiquis MSS. haec sola verba apparent *Quod ubi ex Publicio agnovit, pueros* etc. In aliis etiam *agnovit* omittitur. In antiquiore et meliore libro scriptum fuisse suspicor *audivit*, quod cum esset obliteratum, vel paulo insolentior formula a librariis intellecta non esset, ortae sunt hae turbae, quas videmus. Legendum itaque opinor: *Quod ubi ex Publicio audivit, pueros.* — Ita apud Terentium Andr. II. 1 2. *E Davo audivi.*

CAPUT VII.

„ A quibus cum esset certum auxilium petitum „ ita tamen disceditur."

Pro *tamen* videtur legendum esse *tandem*. Infinitum sit omnia loca enumerare velle in quibus confusio orta est, in primis propter compendia scripturae, ex similitudine vocularum *tamen*, *tandem*, *tantum*, *tum* Vid. Ernestum ad Verrin. Lib. IV. cap. 59. Orat. pr. Cluent. Cap. 7. et 60. Etiam in lib. IV. Verrin. cap. 3. in his verbis: „ nullum „ inquam (signum) reliquit, neque aliud ullum „ tamen, praeter unum pervetus" pro *tamen tandem* videtur esse reponendum. Sed nonnumquam *tamen* eleganter apud Ciceronem dicitur pro *tandem* vel *certe*. Ut in Orat. pro Quintio Cap. 9. „ Cum — spes esset ad talem tamen virum, judicem, „ veniendi." Sic in Cap. 30 ejusdem. Orat. „ Spes est „ hunc miserum aliquando tamen posse consistere." nam ita cum in plerisque edd. *tandem* esset, Schutsius recte videtur edidisse. Etiam in Lib. I Verrin. Cap. 58. *tamen* quod offendit nonnullos mutandum non videtur: conferendus est locus cum orat. in Pison cap. ult. in fin. Sed in Orat. pro Cluentio cap. 7. forte ita legendum „ ut sibi restituerent filium, quem *tamen* „ unum ex multis fortuna reliquum esse voluisset." ubi vulgo legitur *tandem* vel *tantum*.

CAPUT. IX.

„ Ex sponso egit."

Lectionem *ex sponsu*, quae jam Varronis et Serv. Sulpicii citati ap. Gellium lib. IV. cap. 4. auctoritate confirmabatur, magis confirmatur etiam a Gajo, cui in lib. IV. §. 22 memoratur lex Furia *de sponsu*. Itaque *ex sponsu* etiam apud Ciceronem legendum esse arbitror. *Sponsum* est, ut opinor, id quod est in sponsione, *sponsus* ipse actus spondendi.

CAPUT XI.

„ Ubi non modo res erat, sed ratio quoque om-
„ nis, et omnes literae."

Res est ipsum id cujus est societas: *ratio* dicuntur tabulae, ex quibus de re quomodo gesta sit constat, ut quid quisque socius in societatem impenderit, quid forte societati debeat, appareat: *literae* sunt caeterae chartae ad negotii gestionem pertinentes. Sic in *Cap.* 5. decidere de *rebus rationibusque* societatis, i. e. de iis dividendis, quarum erat societas, ut dicitur in *Cap.* 3. et de iis solvendis quae vicissim ex causa societatis sibi debebant socii: ut si judicium de iis esset, de priore judicio communi dividundo, de altero judicio pro socio agen-

agendum esset. In *Cap.* 4. dicitur „ de tota illa „ ratione atque re Gallicana" ubi *ratio* magis videtur significare universam illius communionis conditionem.

CAPUT XII.

„ Quem nunc interficere nefarie cupis, eum tu „ pudenter appellare nolebas."

In MS. scriptum invenit Garatonius *tu impudenter*, ex quo veram videtur lectionem eruisse *tum pudenter:* id enim opponitur *τῷ nunc nefarie.*

CAPUT XV.

„ Etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat, vita turpis ne morti quidem ho„ nestae locum relinquit."

Hic non mirum est varia esse tentata; locus enim uti hic legitur non potest intelligi. Ostendit Cicero majorem esse calamitatem eorum quorum bona venierint, quam eorum, qui infamia notentur: hi enim quamvis turpes in bonis habent solatium: illi vero ex omnibus fortunis ita exturbantur, ut, cum caeteri, quibus vita turpis sit, honestam certe mortem oppetere possint, honeste moriendi facultas ipsis adimatur. Hic videtur Ciceronis sensus fuisse loco quem apposuimus, sed quem corruptum esse facile

quisque sentit. Statim legentem offendit membrorum inter se repugnantia: quam ut tollerent viri docti, varia excogitaverunt. Hotomannus conjecit *vita haec turpis* scil. eorum quorum bona veniere. Facciolatus *vita ita turpis:* quorum neutrum aures explet. Schutsii violentior fuit medicina; is non conjecit, sed locum ita in textu constituit: „ mors ho„ nesta saepe vitam quoque *miseram* exornat: vita „ turpis *et misera* ne morti quidem honestae lo„ cum relinquit." Ait vir Cel. vitam turpem morte honesta non exornari. Quidni? Nonne turpes res iisdem ornamentis, quibus honestae, exornari possunt: mulier turpis v. g. nonne veste et auro exornari dici potest. Tum non de miseria agitur, sed de turpitudine, loco de quo agimus: quem si quis a verbis inde „ *Pecuniam si cupiam*" legerit, videbit tria hominum genera a Cicerone enumerari: primum eorum qui bona amiserunt: horum vita misera est; sed honestas egestatem facile consolatur: alterum eorum qui infamia sunt notati: hi tamen in bonis aliquod habent solatium: tertium eorum quorum bona cum dedecore veniere: horum vita ita turpis est ut nullum solatium admittat, cum ne moriendi quidem honeste inter cives locus illis relinquatur. Id explicatur verbis de quibus agimus: quae, si post tantos viros nostram licet hariolationem proferre, sic constituenda suspicabar. „ Mors „ honesta saepe vitam quoque turpem exornat: „ *exitus ita* turpis ne morti quidem honestae „ locum relinquit." Facile intelligitur cum propter quamdam cum verbo *exornat* similitudinem verbum *exitus* excidisset, ineptos librarios ex *ita* fecisse

vi-

vita; hinc inepta sententia. Verbum *exitus* bene omnino hic quadrare nemo certe negabit. Significatur eo eventus rei in judicium, deductae: cujus verbi vis exempla exstant in Lexicis. Sic apud Graecos dicitur *ἀποβήσις*, et judicia saepe *ἀποβαίνειν* dicuntur: ut jam apud Herodotum lib. I. c. 97. cf. Lysias adv. Simonem p. 33. ed. Ster. et Isocrates in Callimachum p. 191. ed. Ster. Forte in eodem membro *exitus* et *mors* diversa significatione poni insolentius dictum videbitur. Sed quamvis *exitus* aliquando pro ipsa morte dicatur, ut ap. Ciceronem de Rep. lib. I. cap. 16. saepius dicitur de cujuscunque rei eventu. Ut etiam *exitus mortis* dicatur apud Vellejum Paterc. lib. II. cap. 7. ubi vid. loca a Ruhnkenio allata, quibus addatur locus Ciceronis in Agrar. II. cap. 4. ubi dicitur „ extremi exitiorum EXITUS."

CAPUT XVI.

„ Sed ne ipsum quidem ad te retulisti."

Verba, quae olim addebantur „ sed ne ipse quidem te consuluisti," indicio sunt eam formulam a Grammaticis, a quibus sine dubio profecta sunt, rariorem habitam esse. Recurrit tamen in orat. pro Dejotaro cap. 4. Est mere Graeca locutio *λόγος ἑαυτῷ διδόναι*, aliquoties apud Herodotum recurrens: et apud Sophoclem in Oedip. Tyr. v. 591.

οὐκ· εἰ διδοίης γ' ὡς ἐγὼ σαυτῷ λόγον.

CA-

CAPUT XVII.

„ Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus „ et in aliena re, quod tu in tua re, quum tempus „ erat, consulere oblitus es."

Lambinus et Muretus correxerant *hos-quos*; quod confirmatur a Julio Rufiniano, qui (de Fig. cap. 10.) habet *hos-quoniam:* idque recepit Schutsius: certe vulgatum insolentius dictum est; etenim non res, de qua JCtus respondet, sed ipse JCtus consuli de re vulgo dicitur. Sic in seqq. legimus „ non multum me fal-„ lit, si consulamini, quid sitis responsuri." Ne tamen temere qnid mutemus conf. locus Ciceronis in Epp. ad Att. VII. 20. Sed non possum quin hic referam jocularem errorem librariorum in Julio Rufiniano l. c. quem nemo quod sciam notavit. Cum enim Rufinianus l. l. verba Ciceronis ex eodem cap. 17. *Profecto si recte vestram bonitatem*, caet. apposuisset, librarii ex *profecto* titulum orationis *pro Sextio* fecerunt, quo factum est, ut viros doctos in longissimam orationem, ut ea verba ibi quaererent, ablegarent.

„ Quaero abs te, C. Aquilli, L. Luculle, P. „ Quintili, M. Marcelle."

Ex hoc loco intelligitur viros a C. Aquilio in consilium vocatos omnes fuisse juris peritos et consuli solitos, cum hic ut JCti a Cicerone consulan-

lantur, et conjungantur cum Aquilio. P. Quintilii nomen obscurum est: fuit enim gens Quintilia, ut tradidit Vellejus Pat. lib. II. c. 117. „ Magis *nobilis* „ quam *illustris*" (nam ita cum Ruhnkenio legendum videtur) i. e. antiqua magis quam factis nobilitata. Fuit homo summa religione et summa auctoritate praeditus, si, quod verosimile est, ejus nomen legendum est in orat. pro Cluentio cap. 19. ubi vulgo legitur *P. Quintius Varus;* etenim jam diu viri docti animadverterunt, cum multarum familiarum illud esset cognomen, Quintios Varos tamen nusquam memorari. M. Marcellus videtur is, quem Asconius in Div. in Caec. cap. 4. „ magis juris quam eloquentiae studiosum" dixit, qui cum fratre C. Marcello in consilio sedit in causa Verris. Temporum ratio sinit, ut sit is, cujus aedilitas memoratur in lib. I. de Orat. cap. 13. Q. Mucii Scaevolae et L. Licinii Crassi Oratoris familiaris. Est pater, ut opinor, M. illius Marcelli Ciceronis et Serv. Sulpicii cum primis familiaris, de quo multa leguntur in Epp. ad Fam. Patrem et filium commemorat Cicero, ut alterum filii suavitatem, alterum parentis gravitatem apud se obtinere dicat in orat. pro Sulla cap. 6. Probe sunt distinguendi hi M. Marcelli, a M. Marcello qui cum filio C. Marcello in conjuratione Catilinaria fuit. Vid. Cic. in Catil. I. c. 8. et cf. ibi Muretus. Restat ut de L. Lucullo dicamus: cujus nomen cum quibusdam alienum ab hoc loco visum esset, pro *L. Luculle L. Lucili* legi maluerunt: ut significetur ille JCtus, quem cum C. Aquilio magistrum habuit Serv. Sulpicius: (Cic. in Brut. cap. 42.) cujus meminit etiam Pomponius in

leg. 2. *ff. De orig. jur.* Sed bis nomen legitur in hac oratione nihil variantibus libris, et locus repetitur apud Julium Rufinianum de Figuris cap. 10. sine varietate lectionis: nulla sane est causa, ob quam nomen Luculli quasi a Jurisprudentia alienum ejiciamus. Quam liberali educatione usi sint M. et L. Luculli notum est vel ex Plutarcho in vita Luculli pag. 491. E. vel ex oratione pro Archia Poeta vel ex lib. IV. Acad. *Cap.* 1. ubi Cicero Lucullum dixit „ omnem liberalem et dignam homine nobili doc„ trinam " percepisse: quod profecto non dixisset Cicero, qui quantum Jurisprudentiae studio tribueret in lib. de Orat. I. declaravit, si Lucullum ejus artis omnino rudem fuisse existimasset. Sed L. Lucullus propter aliam causam in consilio Aquilii sedere non potuit: facile enim ex ejus temporum ratione intelligitur, eum Romae tunc non fuisse: legitur nimirum apud Plutarchum in vita Luculli p. 494. D. Lucullum, cum Syllam in Asiam secutus esset, (satis diu ante judicium Quintianum,) ab eo decedente pro Quaestore in provincia esse relictum. Plures annos ibi mansit, ut μὴ πάρων cum fratre Aedilem factum esse narret idem Plutarchus, p. 492. B. Eumque per omne tempus intermedium in urbe non fuisse, diserte scripsit Cicero Acad. Quaest. L. IV. c. 1. Qui Lucullum in provinciam profectum tamdiu huic praefuisse dicit, ut quibus temporibus in foro florere maxime potuisset, *omnino rebus urbanis caruerit.* Commodius igitur forte statuetur a librariis in praenomine erratum esse, et Marci Luculli nomen esse reponendum; is certe iisdem quibus frater artibus est eruditus, ut satis constat ex Or.

Or. pro Archia modo laudata; eumque juris studiosum atque peritum fuisse, jam intelligimus ex fragmentis Orationis pro Tullio, in quibus dicitur, „ summa aequitate ac sapientia jus dixisse", ut etiam novum illud de damno judicium composuerit, de quo in parte prima hujus opusculi verbo diximus. Erit forte quis, cui nomen M. Luculli etiam legendum esse videatur apud Ulpianum, in l. 19. ff. *De acq. rer. dom.* apud quem Aristo JCtus ait de quaestione quadam juris *Varium Lucullum* aliquando dubitasse; quod profecto portentum est nominis; Varia enim gens istud cognomen nusquam habuisse legitur: sed facillima, vel potius nulla mutatione *Marcum* in *Varium* abire potuit: sic in Or. pro Archia. c. 9. ejusdem Marci praenominis locum Archiae nomen occupaverat, quod primus monuit magnus vir Wyttenbachius In Disp. Netscheri ad h. l. Non tamen inficior etiam alium L. Lucullum esse potuisse, cujus nomen in hac Oratione legatur; diversus certe est a magno illo belli duce, is quem Asconius ad Orat. in Toga Candida paratum eruditumque vocat accusatorem.

CAPUT XIX.

„ QUI EXSULII CAUSA SOLUM VERTERIT. Quo„ tempore existimas," caet.

Sententiam nostram de hoc loco in parte secunda hujus opusculi explicavimus. Verba in quibusdam MSS. inventa post VERTERIT „ Dici id non

L 2 „ po-

„ potest. QUI ABSENS JUDICIO DEFENSUS NON FUE-„ RIT. Ne id quidem: " sunt ab iis, qui certe verba Edicti intercidisse senserunt, ad quae sequentia pertinent in Oratione Ciceronis. Sed qui universam Ciceronis disputationem cogitatione complexus erit, in primis qui facile dicet non tali auxilio locum posse resarciri, attenderit ad verba Ciceronis in Cap. 29. „ Ex Edicto autem non potuisse bona possideri, de-„ monstravi; quod neque fraudandi causa latitas-„ set, neque exilii causa solum vertisse dicere-„ tur." Id vero non est demonstrare, recitatis Edicti verbis id tantum subjicere „ non est is Quintius." Sensit id Lambinus, itaque, ne credo vestigium maneret jacturae quam fecimus, pro *latitasset* reposuit *latitasse*. Sed pace magni viri dixerim, non haec est juris periti correctio. Oportebat enim adversarios unam certe afferre causam, ob quam peterent, ut ex Edicto in bonorum possessionem mitterentur. Exsilii causa igitur solum vertisse non dicebant Quintium, sed fraudationis causa latitasse: id igitur factum non esse, demonstrari oportuit. In hac igitur lacuna etiam interiisse suspicor illam latitationis definitionem, quam a Cicerone profectam improbavit Ulpianus in leg. 7. ff. *Quibus ex caus. in poss. eat.* „ Latitare est turpis occultatio sui." Quae verba ex oratione pro Quintio esse, scripsit Gothofredus ad h. l. sed ut nunc eam habemus, in ea non apparent.

CA-

CAPUT XXII.

„ Judex arcebitur."

Id est, coercebitur, angustiis temporis concludetur, ut intra certum tempus sententia ei dicenda sit. Conf. Cap. 9. h. or. Antiquius Cicero simplice verbo usus est pro composito; sic in *Somn. Scip.* Cap. 4. dicitur „ Orbis extimus, qui reliquos „ omnes complectitur — arcens et continens caete„ ros." Et in Virgilio Aen. l. II. 406. „ arcebant vincula palmas," quamvis haec etiam aliter explicari possint. — Similiter Vellejus Paterculus. l. II. c. 10. utitur verbo *artare.* Conf. Ulpianus in l. 2. §. 8. ff. *Si quis caut. in jud. sist. non opt.*

„ Pro me pugnabit L. Philippus — aderunt au„ tem homines nobilissimi ac potentissimi."

Philippus nimirum et caeteri illi nobiles Naevii patroni in judicium venientes tacite sua praesentia, non minus quam Hortensius eloquentia, Naevium defendebant. „ Non enim, ut ait Cicero in Or. „ pro Sulla c. 2., una est ratio defensionis ea, „ quae posita est in Oratione; omnes, qui ad„ sunt, qui laborant — pro sua parte atque aucto„ ritate defendunt." Quanta auctoritate, quanta po-

potentia in civitate, quantaque eloquentia fuerit L. Philippus, ex libris de Oratore, vel ex Bruto satis notum esse arbitror.

CAPUT XXIII.

„ Et eum judicio tuo comprobabas, quem spo-
„ liatum fama fortunisque omnibus arbitrabare?"

Etiam hic quaedam intercidisse suspicor: nam non credibile est tam cito illud argumentum reliquisse Ciceronem, quod plurimum faciebat, ut ipse Naevius suam possessionem nihili fuisse judicasse videretur. Neque sequentem gravissimam disputationem tam abrupte, ut mihi certe videtur, exorsus est Cicero, quam nunc initio *Cap.* 24. legitur.

CAPUT XXVI.

„ Praetor jussisset, opinor, si vellet, si valeret,
„ si jus diceret, si nemo recusaret, qui ex ipsius
„ decreto et satisdare et judicium accipere vellet."

Enumerat Cicero omnia ea, quae concurrere oportebat, ut Praetor post trigesimum diem venditionem bonorum procedere juberet. Oportebat nimirum hoc die eum velle et valere et jus dicere: hoc satis intelligitur: sed oportebat inprimis neminem recusare ne juberet, qui scilicet defendere judicio reum

reum vellet et satisdationem praestare. Conferenda omnino est *lex* 33. §. 1. *ff. De bon. auct. jud. poss.* Carere igitur possumus correctione Lambini, quam Ernestus et Schutzius receperunt, pro *qui quin* legentis; quod sensui hujus loci repugnat. Si nemo enim recusasset, quin judicium accipere vellet, omnes P. Quintium defendere voluissent; quo casu profecto Praetor vendi bona non jussisset.

CAPUT XXVII.

„Hoc dico."

Haec forte interjecta sunt a librariis, vel ab iis qui primas editiones curarunt, ut locus scilicet cohaereret. Sed jam vidimus, quam absurde. Non tamen assentior iis, qui universam partem tertiam orationis periisse crediderunt, Hotomanno, Lambino et post eos Schutzio, ad h. l. et in argum. orat. Nam quae a *Cap.* 23. usque ad *Cap.* 28. leguntur, non possunt pertinere ad partem secundam, qua ex Edicto non potuisse possidere Naevium Cicero docuerat; sed ea: „bona vendita non sunt, creditores non convenerunt, dominus dejectus est", manifesto pertinent ad eam partem, qua facto non possedisse Naevium Cicero demonstravit. Non igitur universam partem tertiam orationis, sed integram partem partis tertiae periisse censeo.

CA-

CAPUT XXIX.

„ Omnino autem bona possessa non esse constitui."

Est haec egregia correctio Hotomanni, cum antea *omnia* legeretur: *omnino possidere* opponitur τῷ *possidere ex Edicto*. Sic in or. pro Rosc. Amer. *Cap.* 43. dicitur, „ bona quo jure, quo modo aut qua „ lege venierint quaero, — denique etiam illud sus- „ picor *omnino* haec bona non venisse." Et in Philipp. XIII. *Cap.* 16. „ *Omnino*, mea quidem sen- „ tentia, legem illam appellare fas non est; et ut „ sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare."

TANTUM.

THE-

THESES.

I.

Jurisprudentiae studioso ex omnibus illis disciplinis, quibus juris universa disciplina quasi orbe quodam continetur, nulla negligenda est, non ut aeque habitet in omnibus, sed ut hospes in nulla sit.

II.

Societatis coeundae primam causam non tam imbecillitatem hominum, quod voluit Plato in lib. de Rep. II, quam naturalem quamdam quasi congregationem, ut ait Cicero in lib. I. de Rep. c. 25, fuisse credimus.

III.

Dominium est juris naturalis.

I V.

Forma Imperii Despotici, qualem descripsit Montesquievus in libro *de caussis Legum*, neque exstitit umquam, neque existere potuit.

V.

Non honestatis sensus tantum, sed civilis etiam prudentia suadere videtur, ut divortiorum licentia quam maxime coerceatur.

V I.

Improbandum videtur quod apud multas gentes in usu fuit institutum, quo corpora eorum, qui supplicium passi sunt, sepultura privantur, ut in patibulo exposita conspiciantur.

V I I.

Qui poenis capitalibus substituunt vincula sempiterna, dum clementiae et misericordiae laudabili sane studio feruntur, in quibusdam tamen causis inhumani atque crudeles reperiuntur.

V I I I.

In eos poenae severissime exsequendae videntur, quibus propter opes et locum, quem in civitate obtinent, facillimum fuit scelere vacare.

IV.

IX.

Quanta Romanis sapientia fuit in opibus imperii comparandis, tanta etiam in jure constituendo fuit, ut ex jure Romano vel maxime intelligatur, quantum caeteris gentibus prudentia praestiterint, vid. Cic. de Orat. I. 44.

X.

Jurisprudentiam apud Romanos diu paucorum hominum fuisse artem, etiam post editas a Cn. Flavio actiones, hinc maxime factum esse, recte, ut opinor, Cicero (de Orat. I. 41.) docuit, quod diu nemo fuerit, qui ea, de quibus responderent JCti, artificiose digesta generatim componeret.

XI.

Quod cum Serv. Sulpicius tandem effecisset, (Cic. in Brut. c. 41.) ab eo inde tempore jurisprudentiae studium apud Romanos maxime efflorescere coepit, ut ex hoc vel maxime intelligatur, quam conjunctum illud studium cum philosophia sit.

XII.

Jus Romanum tum maxime mutari coepit, cum rerum summa delata est ad peregrinos, qui ad suae gentis instituta plura reficere instituerunt.

XIII.

Minime placet in tradenda Juris Romani disciplina ratio, quam multi inprimis in Germania secuti sunt, ut, spreto Justiniani in Titulis collocandis ordine, omnia, ut sibi videretur, componerent.

XIV.

In lege 34. *ff. mandati*, vox *nihilomagis* pro *nihilominus* accipienda non videtur. Sed potius Africanum ab Ulpiano dissensisse statuendum.

XV.

Heres ad detrahendam Falcidiam non habet rei vindicationem.

XVI.

Jus Gallicum, quo nunc utimur, percipi non potest nisi vetus etiam jus, quod in Gallia in usu fuit cognoscamus. Atque etiam hanc ob causam scripta Cujacii, Gothofredi aliorumque magnorum virorum, qui in Gallia viventes de Jure Romano scripserunt, etiam juris hodierni studioso diligenter versanda sunt, quod saepe Jus Romanum cum Jure Gallico, quale tum erat, contulerunt.

XVII.

Jure Gallico eae substitutiones fideicommissariae non

non videntur abrogatae, quibus fiduciarius id quod accepit, statim restituere jubetur fideicommissario.

XVIII.

Bonus historicus sine aliqua juris peritia esse non potest.

XIX.

Non de omnibus verum videtur, quod dixit Lysias in orat. de off. Tyrann. p. 221. natura neminem in hanc illamve civitatis formam propensum esse, sed quam quisque sibi non expedire sentiat, eam velle commutari.

XX.

Eas artes auctore Cicerone (de Rep. I. 20.) maxime discendas censeo, quae efficiant ut usui civitati simus: id enim esse praeclarissimum sapientiae munus, maximumque virtutis vel documentum, vel officium.